RELATIO COMPENDIARIA

DE INITIO PROCESSV, ET FINE COLLOQVII RATISBONENSIS, QVOD ANNO DOMINI M. DCI.

Sereniſſimi Principis ac Domini Domini MAXIMILIANI, Comitis Palatini Rheni, Vtriuſq; Bauariæ Ducis, &c. Et Illuſtriſſimi quoq; Principis ac Domini Domini PHILIPPI LVDOVICI, Comitis Palatini Rheni, Bauariæ Ducis, Comitis Veldenſis & Sponhaimenſis &c. voluntate atq; auctoritate inſtitutum fuit.

OPPOSITA

VANIS RVMORIBVS, QVI DE HAC IPSA RE OPERA ET ſtudio hæreticorum, paſſim in vulgus ſparſi ſunt.

AVTHORE
ADAMO TANNERO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

MONACHII.
EX TYPOGRAPHIA Nicolai Henrici.

M. D CII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO MAXIMILIANO, COMITI PALATINO RHENI, vtriuſq; Bauariæ Duci, &c.

ADAMVS TANNER SOCIETATIS IESV, *gratiam & fœlicitatem à Deo precatur.*

VERE ac ſapienter à Magno illo GREGORIO dictum, Sereniſſime Princeps, *hæreticos non conari inquiſitionibus ſuis veritatem aſſequi, ſed victores videri,* Ser.tas V.a recenti experimento Colloquij Ratiſbonenſis, quod voluntate atq; authoritate Ser.tis Væ. ſimul atq; Ill.mi Principis ac Domini Domini Philippi Ludouici. Comitis Palatini Rheni, &c. nuper peractum eſt, luce clarius intellexit, intellexeruntq; pariter illi, qui vt ne intelligerent, oculos animi ſui ſponte non clauſerunt. Tantum enim abeſt, vt inuictiſſimis licet conuicti argumentis, veritati manus cederent, vt etiam contra illam procacius & peruicacius hoc ipſo inſurgerent, quòd eam ſibi tam apertè repugnantem animaduerterent. Hinc cum ſe veritate tueri ſua nequaquam poſſe intelligerent, ad fraudes confugere, falſis rumoribus omnia complere, victoriam inter ſuos iactitare, ac non niſi triumphum paſſim canere cœperunt. Et verò perculit hic rumor vaniſſimus, non ſolùm aures Ser.tis V.æ, ſed ipſam quoq; ſuæ Ser.tis perſonam grauiſſima iniuria laceſſitam perſtrinxit, quaſi videlicet Ser.tas V.a occaſione huius Colloquij erga hæreticos cœperit eſſe propenſior, minuſq; malè ſentire de hæreſi, quam anteà tantoperè deteſtabatur. Ego verò tametſi ſcirem, nihil vnquam in votis aliud fuiſſe Ser.ti V.æ quàm vt *hæreſin* quidem omnem *damnaret*, *homines* verò *emendarentur*, quod S. Hieronymi & catholicorum omnium vnicum votum eſt: iam tamen eandem Ser.tem V.am, ſi vnquam aliâs, multò maximè & hæreſin execrari, & vt hæreticorum fraudibus miſerè de-

cepti in viam veritatis reducantur, maximè optare, vel huius ipſius colloquij, eorumq́; quæ in eodem colloquio à Ser.te V.ra geſta ſunt, documento, planè didici, ita vt incredibile videretur, inueniri quoſdam hæreticos poſſe, qui malè ſibi de Ser.te V.a blandiri audeant. Quid enim? nonne vox illa Ser.tis V.æ etiam atq́; etiam repetita, qua impudens os Prædicantis illius, qui per incredibilem procacitatem, ſummum Ser.tis V.æ ipſius ſancti ac Romani Imperij, ac demùm Chriſtianæ Eccleſiæ vniuerſæ caput, effronti ore, ac petulanti lingua, turpiſſima calumnia aſpergere non eſt veritus, obturauit; iniuriam, & grauiſſimam iniuriam, & tantam, quæ in omnes Catholicos redundet, in ipſo colloquio palàm, diſertè & apertè pronunciando; nonnè, inquam, hæc vnica vox, hæreticis malè de Ser.te V.a ominandi & loquendi facultatem omnem prorſus adimere debebat? Et tamen adhuc finito colloquio, non deerant ex hac hominum fæce, qui benè de Ser.te V.a ſperare, vel vt quod res eſt dicam, contra ſpem malè de Ser.te V.a loqui auderent, tantum vt figmentis ſuis conformiter omnia viderentur loqui. Huic omni vaniſſimo rumori, cum Ser.tas V.a prudentiſſimè decreuerit, ipſius inprimis Protocolli editione occurrendum eſſe, deinde verò etiam conſulendum ijs, quibus tam prolixum librum, aut legere non libebit, aut intelligere minus licebit, vtpote quòd ſingulorum argumentorum nexus in eo plerunq́; diſſolutus inueniatur: idcirco S. Auguſtini exemplum ſequutus, qui & ipſe quoq́; breuiculum collationum, quas cum Donatiſtis habuerat, conſcripſit, hanc ipſius Protocolli quaſi epitomen conficiendam ſuſcepi, adiectis tamen quibuſdam, quæ colloquium præceſſerunt, aut conſecuta ſunt. Quam eandem Ser.ti V.æ cuius voluntate non ſolùm ad colloquium vocatus, ſed etiam in eodem, licet præter expectationem, Collocutor deſignatus fui, humillimè dicare volui, non quaſi noui quicquam Ser.ti V.æ allaturus,

Digitized by Google

vt quæ optimè omnium res circa colloquium geſtas nôrit, ſed vt ipſi quoq; veritatis hoſtes nomen Ser.^tis V.^æ mordaci lingua proſcindere deſinant, vtpote quem, hoc ipſo argumento, omnes non tantùm ſyncerum veritatis patronũ, ſed eius quoq; ſeuerum vindicem manifeſtè intellecturi ſunt. Neq; ſanè putaui hæreticis, quos mendacibus linguis nemini conſtat pepercisse, in hoc ſcripto magnopere eſſe parcendum, *ſed omni potiùs ſtudio agendum, vt hoſtes Eccleſiæ mei quoq; hoſtes fierent*, vt S. Hieronymus à ſe factum eſſe teſtatur: veritus ne alioquin Dei inimicus cõſtituerer, ſi amicus eſſe ſtuderem hoſtium Dei. Nam vt Arnobius Vetus ſcriptor ait: *Eum qui pepercerit hæreſiarchis, aut prædicatoribus falſitatis, & non eos gladio fidei ſuæ iugulauerit, hoc ei euenire, quod euenit Sauli, quis ambigat? aut qui miſericordiã ſuã putauerit, ſe in hæreſi permanentib. exhibere, quis neget ſimili modo à regno Dei excludi ſicut Saul à regno humano probatur excluſus?* Interim verò Ser.^ti V.^æ eximium illum catholicæ religionis, & ſalutis proximorum zelum, ſua apud Deum mercede nequaquã fruſtrandum, quo ſolo ad colloquium inſtituendum inducta fuit, tum verè Catholici Principis heroicum animum, quo atrocem illam iniuriam à ſummo Eccleſiæ Capite Romano Pontifice, Catholiciſq; omnibus, tam audenter propulſauit, gratulantur boni omnes; humiliq; prece Deo ſupplicant, vt DEVS OPT. MAX. Ser.^tem V.^am Eccleſiæ Catholicæ diu ſoſpitem & incolumem ſeruet, boniſq; ac donis omnibus magnificè cumulet. Monachij die S. Matthiæ Apoſtoli, anno, M.DCII.

Proœ: in Dial: aduer: Pelagi:

in Pſal: 139:

AD LECTOREM

SCripſit S. Auguſtinus, amice Lector, peracta cum Donatiſtis diſputatione, breuem quaſi Actorũ omniũ, eius diſputationis, epitomen, quam Breuiculum Collationum cum Donatiſtis inſcripſit, quin etiam & epiſtolam (quæ eſt 152.) de hoc ipſo argumento, ſuo & aliorum catholicorum Epiſcoporum nomine, ad ipſum Donatiſtarum populum dedit, qua breuiter, ſed neruoſè acta diſputationis illius complexus, tergiuerſationem, vanitatem, fraudes, ac mendacia Donatiſtarum, apertamq́ victoriam de eis reportatam à catholicis, graphicè deſcribit: idq́ eo fine, vt quandoquidem integra Acta, à Notarijs alioquin publica fide excepta, multi ob prolixitatem legere non poſſent, eadem compendio deſcripta & facilius legerent omnes, & melius intelligerent. Induxit verò Auguſtinum ad ſcribendum impudens Donatiſtarum calumnia, qui cum à catholicis non ſolùm apertè victi eſſent, ſed etiam à deſignato, imperatoria authoritate, Cognitore, ſiue Iudice, damnati, nihilominus tamen inter ſuos clamitare non verebantur, iudicem muneribus corruptum iniquè iudicaſſe, ſe nullo iure damnatos, vt qui victi non fuerint, ſed potius Catholicos vicerint, &c.

Cum igitur & iam quoq́ hæretici, occaſione nuperæ diſputationis Ratisbonenſis, non abſimili rumore, tùm ſcriptis, tùm dictis Germaniam propè vniuerſam complerint, vaniſſimè iactãtes, ſe palmam reportaſſe, catholicos cauſâ cecidiſſe, Lutherum viciſſe, &c. Ideo ſimili quoq́ opus eſſe videbatur remedio, ne quos illa hæreticorum inſolens iactantia, mouere nihil potuit, ipſa fortè catholicorum modeſtia ac taciturnitas offenderet. Hac ergò de cauſa editum eſt voluntate ac authoritate Sereniſſimi Bauariæ Ducis, ipſum inprimis Actorũ diſputationis Protocollũ, prout publica fide conſcriptum & conſignatum fuerat ab vtriusq́ partis Notariis, &c. Deinde verò quia ratio etiam habenda videbatur eorũ, qui Protocollum integrum, vel ob prolixitatem legere non volent, vel ob interruptam variis ſermonibus rerum ſeriem intelligere minus poterunt, idcirco etiam

hanc

Digitized by Google

bant relationem Actorum eiuſdem Colloquii conficere placuit, in compendium redactis ijs, quæ vtrinq; ad rem magis facere videbantur; vt hoc vtroq; quaſi flabello, vaniſſimus ille conficti rumoris fumus diſpelleretur.

In qua re num bona fide proceſſerim, ipſum quidem Protocollum teſtem, quoad res in eo contentas; te verò amice Lector, iudicem mihi deligo. Hæretici ſiue ringantur, ſiue rumpantur, non curo: nunquam illi fidẽ meam, ſat ſcio, collaudabunt, niſi fide abnegata, ipſorum perfidiam aut apertè ſequar, aut occultè foueam. Sed abſit, vt eis fidem meam probari cupiam, quibus ipſius Dei fides improbatur. Catholicus ſum, fateor, Catholicis faueo, & ob hoc ipſum Acta diſputationis illius non ſiccè tantùm ſubinde percenſeo, ſed etiam quandoq; malè ab aduerſariis acta perſtringo: ita tamen vt nihil in Catholicorũ gratiam, nihil in hæreticorum odium fingam, cum ob hoc ipſum fingere, nihil poſſim, quod in Catholicis veritatem amo, in hæreticis falſitatem damno.

Quod ſi hæreticis hæc libertas diſplicebit, id ſuæ tribuant velim ſtolidæ impudentiæ, qua calumniari duntaxat ſibi liberum eſſe voluerunt, calumnias amoliri, nulli. Palam interim proteſtor nullum mihi negotium eſſe, cum vllis Principibus, licet alioquin à fide Catholica alienis, quos, vtpote fraude aliorum deceptos, miſeratione potius, quàm indignatione proſequuntur Catholici: ſed cum ipſis ſolummodo mendaciorum & calumniarum architectis Prædicantibus, qui ſuis fraudibus, alios in errorem inducere ſatagũt, quos quò magis perſequuntur Orthodoxi, eò maiore beneuolentia proſequuntur ab eis miſerè ſeductos. In tres autem partes librum hunc partiri placuit. In prima de initio diſputationis ac argumentis Aduerſariorum: Noſtrorumq; Reſponſionibus. In ſecunda de argumentis Noſtrorum & Reſponſionibus Aduerſariorum: In tertia de forma & fine Colloquij agetur. Lege Lector ſynceris oculis, & vale.

IN-

INDEX CAPITVM.

PARS PRIMA.

DE INITIO COLLOQVII atq́ argumentis Aduerſariorum, & reſponſionibus Catholicorum.

CAPVT PRIMVM.

Qua occaſione, de qua re, quo loco, & modo, hæc diſputatio fuerit inſtituta.

CAPVT SECVNDVM.

De Collocutoribus, & Notariis pro colloquio deſignatis: atq́ initio ipſius Colloquii.

CAPVT TERTIVM.

Quàm iniquis poſtulatis, initio ſtatim Colloquij, Aduerſarij tempus protraxerint, ne ad ſuarum theſium probationem venire cogerentur.

CAPVT QVARTVM.

De primo argumento Aduerſariorum, & reſponſionibus Catholicorum.

CAPVT QVINTVM.

In quo duæ quædam Appendices eiuſdem argumenti, cum noſtrorum reſponſionibus, afferuntur.

CAPVT SEXTVM.

De argumento ſecundo Aduerſariorum, & reſponſionibus Catholicorum.

CAPVT SEPTIMVM.

De argumento tertio aduerſariorum, & reſponſionibus Catholicorũ.

CAPVT OCTAVVM.

De Appendice quadam argumenti tertij aduerſariorum, & reſponſionibus Catholicorum.

Digitized by Google

CAPVT NONVM.

De turpiſſima ignominiæ nota, quam ſibimet inuſſerunt Aduerſarij, dum à Catholicis ad honeſtiſſimũ certamen æquiſſimis conditionibus prouocati, manus cum eis conſerere auſi non ſunt.

CAPVT DECIMVM.

De locis quibusdam noui Teſtamenti ab aduerſarijs obiectis & reſponſionibus Catholicorum.

CAPVT VNDECIMVM.

Quàm ineptè Aduerſarij ſcripturas inter argumentandum produxerint.

PARS SECVNDA.

DE ARGVMENTIS CAtholicorum, & reſponſionibus Aduerſariorum.

CAPVT PRIMVM.

De primo argumento Catholicorum, quòd ſcriptura propriè non ſit Iudex: cum reſponſionibus aduerſariorum.

CAPVT SECVNDVM.

De ſecundo argumento Catholicorum, quòd ſcriptura non ſit verè Iudex: cum reſponſionibus aduerſariorum.

CAPVT TERTIVM.

De argumento tertio Catholicorum, quòd ſcriptura non ſit iudex omnium controuerſiarum religionis, & reſponſionibus Aduerſariorũ.

CAPVT QVARTVM.

De argumento quarto Catholicorum, quòd ſcriptura propriè non ſit iudex.

CAPVT QVINTVM.

De argumento primo Catholicorum, quòd Scriptura non ſit vnica norma controuerſiarum religionis, cum reſponſionibus aduerſariorum.

CAPVT SEXTVM.

Digitized by Google

De argumento ſecundo Catholicorum, quòd Scriptura non ſit vnica norma, &c. cum reſponſionibus Aduerſariorum.

CAPVT SEPTIMVM.

De Appendice argumenti ſecundi Catholicorum, quòd Scriptura non ſit vnica norma fidei, cum reſponſionibus Aduerſariorum.

CAPVT OCTAVVM.

De argumento primo Catholicorum, quòd Eccleſia ſit Iudex omnium controuerſiarum religionis; cum reſponſionibus Aduerſariorum.

CAPVT NONVM.

De argumento ſecundo Catholicorum, quòd Eccleſia propriè ſit Iudex controuerſiarum Religionis, non ſcriptura; cum reſponſionibus Aduerſariorum.

CAPVT DECIMVM.

De argumento tertio Catholicorum, quòd Eccleſia non ſcriptura, propriè ſit Iudex controuerſiarum Religionis, cum reſponſionibus Aduerſariorum.

PARS TERTIA.

DE COLLOQVII FORMA, Fine, & *quibuſdam ei adiunctis.*

CAPVT PRIMVM.

Catholicos magnoperè, ac iure optimo, formam Dialecticam in hoc Colloquio vrſiſſe.

CAPVT SECVNDVM.

Prædicantes in tota Diſputatione ad formam Dialecticam ſeruandam adigi non potuiſſe, ſed potius contra eam apertè etiam nonnunquam proteſtatos.

CAPVT TERTIVM.

Quàm

Digitized by Google

Quàm impudenter Aduerſarij quandoq́ iactitarint, ſuam formam eſſe formam Chriſti, Apoſtolorum & Sanctorum Patrum.

CAPVT QVARTVM.

De fine & abruptione Colloquij

CAPVT QVINTVM.

Veritatem Catholicam in hoc Colloquio viciſſe, etſi hoc minimè, aut agnoſcant, aut fateantur Aduerſarij.

CAPVT SEXTVM.

Quibus artibus Aduerſarij hoc Colloquium Ratisbonenſe inchoarint, continuarint & concluſerint.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS GERMANIÆ SVperioris.

HAnc Relationem compendiariam de Diſputatione Ratisbonenſi, &c. à P. Adamo Tañero ſocietatis noſtræ Theologo conſcriptã, & à tribus Patribus, itidem Theologis, lectam & probatam, Ego GREGORIVS ROSEPHIVS eiuſdem ſocietatis per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ab admodum R. P. N. Præpoſito Generali P. CLAVDIO AQVAVIVA facta, typis mandari permitto. In quorum fidẽ hoc Authori teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & ſigillo munitũ dare volui. Ingolſtadij 20. Februarij. An. 1602.

GREGORIVS ROSEPHIVS.

RELATIO COMPENDIARIA ACTORVM COLLOQVII RATISbonenſis, Anni M. DCI.

PARS PRIMA.

DE INITIO COLLOQVII ATQVE ARGVMENTIS ADVERSARIOrum, & Reſponſionibus Catholicorum.

CAPVT PRIMVM.

QVA OCCASIONE, DE QVA RE quo loco & modo, hæc diſputatio fuerit inſtituta.

CVM An. M.DIC. in autumno, Sereniſſimus Princeps ac Dominus Dominus MAXIMILIANVS, Comes Palatinus Rheni, vtriuſq; Bauariæ Dux, &c. & Illuſtriſſimus quoq; Princeps ac Dominus Dominus PHILIPPVS LVDOVICVS, Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux, Comes Veldenſis & Sponhaimenſis, &c. quem pro amicitia Sereniſſimus Bauariæ Dux inuiſerat, amicè inter ſe de religione ſermones miſcerent, atquè Illuſtriſſimus Comes Palatinus inſinuaret, non abs re futurum, ſi per occaſionem aliquando inter Theologos vtriuſq; partis, amicum de religione colloquium inſtitueretur; non prætermittẽdã ſibi putauit Sereniſſimus Bauariæ Dux, pro eximia ſua erga Deum religione, & Catholicam fidem zelo, hanc bene de bono Principe, Cognato ſuo, merendi opportunitatem, vt ſi Deus ſua gratia faueret, nec eius operationem humana voluntas retardaret, pulcherrima atq; exoptatiſſima in fide ac religione conſenſio, magno totius Eccleſiæ bono conſtitueretur. Quocirca Sereniſſimus Bauariæ Dux non ſolùm huiuſmodi inſinuationem Illuſtriſſimi Principis gratam habuit, ſed cum ſua Ser.tas ex itinere domum rediiſſet, re cum ſuis interim deliberata, ſponte ac liberè ſcriptis ad eius Celſitudinem literis, amicè ei renunciauit, ſe quoad diſputationem inſinuatam, per omnia quantum in

Digitized by Google

ſe eſt, ad eius nutum fore paratiſſimum, modò locus, tempus, modus, opportunè conſtituantur.

Hinc cùm ad Theologos vtriuſq; partis ventum eſſet, varijs vtrinq; ſcriptis vltrò citroq; datis, de argumẽto ſiue themate, ac forma diſputationis fuit diſceptatum; in primis verò de duob⁹ potiſſima erat cõtrouerſia. Primò enim cùm inter alia poſtulata & conditiones futuræ diſputationis hanc etiam poſuiſſent Aduerſarij, vt videlicet ſola S. ſcriptura eſſet vnica norma & iudex omniũ controuerſiarũ; reſponderũt noſtri, quod res eſt, id inconueniens ac iniquum prorſus eſſe poſtulatum. Tùm quia ridiculum eſt, hoſtem quo cum bellum geras, ad certum armorum genus velle aſtringere. Tùm quia cum hoc ipſũ, an videlicet ſcriptura ſit vnica norma & iudex omnium controuerſiarum, ſit origo quodamodo et radix aliarum cõtrouerſiarum omnium, qua compoſita alias omnes componi neceſſum ſit, nõn autem compoſitâ, fruſtrà circa alias cõſenſio tentetur; à ratione prorſus alienum eſt, hac controuerſia prætermiſſa, de alijs velle diſceptare. Tùm quia iniquum eſt ab Aduerſario petere, vt ſuis ſe præſidijs exuat, & quà lubet hoſti in conſpectum dedat. Et demùm quia petere à Catholicis, vt admittant ſolam ſcripturam eſſe judicem & vnicam normam omnium controuerſiarum, ſecluſa interim infallibili Eccleſiæ authoritate, quid aliud eſt quàm petere, vt ſua cauſa ante omnẽ conflictum, nulla neceſſitate ſponte cedant; traditiones quas extra ſcripturam habẽt, ipſiusq; Eccleſiæ infallibilem iudicandi authoritatem valere iubeant, ſuamq; doctrinam de cultu imaginum, cœlibatu Sacerdotum &c. priusquam Aduerſarij eam falſam eſſe vlla ratione probent, ꝑdant. Seriò itaq; Catholici monuerunt Lutheranos, vt prætermiſſa tã iniqua poſtulatione & inani tergiuerſatiõ, prius, ſi vllam in ſua cauſa repoſitam haberent fiduciam, de hoc ipſo principali articulo, an ſcriptura ſit ſolà & vnica norma & iudex omnium controuerſiarum religionis, diſputare conſentiant: alioquin toti mundo manifeſtiſſimum ſe facturos ſumma cum eorum ignominia, eos nullis honeſtis cõditionibus ad Colloquium potuiſſe adduci. Itaq; cum magnoperè alioquin tergiuerſarentur Aduerſarij, & rem quàm poſſent diutiſſimè procraſtinarent, neq; amen abſq; ſummo dedecore, penitus ſubterfugere oblatam diſputationem poſſent, tandem conſenſerunt, vt in futura diſputatiõe, ante omnia de hoc ipſo articulo diſputetur, an ſcilicet, vt ipſi dicebant, ſemper apud veteres Catholicos Theologos extra omnem controuerſiam fuerit, quod ſcriptura ſit vnica norma doctrinæ & iudex omnium con-

Digitized by Google

trouerſiarum religionis,quamuis in ipſo colloquio ſtatus hic quæſtionis tandem fuerit mutatus, & generatim quæſitum, anne ſcriptura ſit vnica regula & iudex omnium controuerſiarum fidei &c.Neq; tamen nouum erat id Aduerſariorum poſtulatum, ſed & hæreticis iam olim vſitatum. Id ipſum enim Maximinus Arrianus cum S. Auguſt.diſputaturus poſtulauit,vt teſtis eſt Auguſt.in lib.contra Maximinũ. *Si quid enim*,ait, Maximinus,*de diuinis ſcripturis protuleris,quod commune eſt cum omnibus,neceſſe eſt,vt audiamus. Hæ verò voces quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur,cum ipſe Dominus moneat nos & dicat,ſine cauſa colunt me,docentes mandata & præcepta hominum.*

Alterum de quo inter Theologos vtrinq; potiſſimum diſceptabatur,erat forma quæ inter diſputandum ſeruanda eſſet. Et cum probè ſcirent noſtri Theologi,quàm in Diſputatione contra pertinaces Hæreticos habenda,dialectica & ſyllogiſtica forma neceſſaria eſſet, idcirco eam ipſi vehementer vrſerunt, idq; ob cauſas iuſtiſſimas, quos infrà ſuo loco de forma diſputationis ex inſtituto acturus,explicabo. Et quamuis hic multum atq; diu pertinacius etiam,quàm circa præcedens illud diſceptationis punctum, tergiuerſarentur Aduerſarij, & pro ſyllogiſtica ac dialectica forma,neſcio quam aliam formam,obtruderent,& iam imminente quoq; diſputationis præfixo termino, nullum adhuc liquidum reſponſum ea de re,dediſſent, coacti ſunt tandem, ipſomet Sereniſſimo Principe miſſis hac de ad re Illuſtriſſimum Principem literis,vrgẽte, animi ſui ſententiam apertè declarare, atq; palam edicere,anne ſyllogiſticã & dialecticam formam in celeberrimis quibuſuis Academiis receptam & doctis viſitatam ſeruare,atq; adeò more Doctorum ad veritatem inquirendam aptiſſimo, diſputare conſtitutum habeant. Sibi enim alioquin minimè propoſitum eſſe,ad colloquium aduenire,& prolixis Prædicantium declamationibus audiendis tempus conterere,animumq; fatigare. Sic igitur Aduerſarii neceſſitate compulſi, ne diſputationem iam conſtitutam,cuius etiam fama omnes iam pene Germaniæ partes peruaſerat, ipſi irritam redderent, iuſtæ tandem illi conditioni acquieſcere formamq; legitimam obſeruare ſe velle ſignificarunt.

Quo facto, ſimul etiam de idiomate, quo in diſputatione vtendum eſſet, diſceptatio compoſita eſt, cum alioquin Prædicantes, vti ſua verboſius exornare & amplificare poſſent, patrio ſermone vtendum eſſe dicerent, noſtri verò Latino, quod ſyllogiſtica diſputandi ratio in lingua Germanica aptè ſeruari non poſſet. Itaq; conſtitutum vt latinè Colloquium tranſigatur.

Et

Digitized by Google

Et licet etiam de loco & Auditorum numero admittendo fuerit aliqua quæſtio, atq; Sereniſſ. Bauariæ Dux ob varias incommoditates, vitandas, Aulam Epiſcopalẽ Ratisbonæ deſignârit, neq; ſuæ Ser.^tis mens fuerit vnquam, ita publicam, & quaſi generalem, in Germania diſputationem inſtituere, vt aduerſa pars cogitare viſa eſt, atq; ideo nec vllos alios Principes, nec exteros Theologos in eius rei ſubſidium, & quaſi Societatem aſciuerit, tandem tamen Ser.^mus hoc amicitiæ Ill.^mi Principis cõcedendum ratus, curiam Ratisbonenſẽ pro diſputationis loco admiſit, hac tamen conditione, vt ob vitãda omnis generis incomoda, & turbas confuſæ multitudinis, aliasq; rationes graues, præter vtriusq; Principis cõitatum, non niſi Doctis, ijsdemq; in certo dũtaxat numero, acceſſus ad diſputationem daretur. Quod rectè quidem conſtitutum eſt, ſed vix obſeruatum, an incuria eorum quibus res demandata eſt, an vi irruentis multitudinis, mihi quidẽ non ſatis conſtat. Et certè non inconſulto S. Auguſt. Epiſt. 163. cum de diſputatione cum Donatiſta illo Fortunio inſtituenda ageret, *Videtur antẽ,* inquit, *mihi, vt turbulẽtas, turbas impedimẽtum poti⁹ quã adiumẽtum afferentes, omniò deuitẽus, & verè ex animo, amico atq; tranquillo ſuſceptum tam magnum negotium, Domino opitulante peragamus, ad aliquam villam nos conuenire debere non magnam, vbi nullius noſtrûm eſſet Eccleſia, quam tamen cõmuniter poſſident homines, & noſtræ cõmunionis & ipſius, ſicuti eſt villa Titiana &c.* Non itaq; turbas amant qui veritatem amant, & pacẽ potius atq; conſenſionem, quàm turbationem quærunt. Sed noſtri Prædicantes Doctorum iudicium pertimeſcentes, quibus vtiq; ſciebant ſe ſuam cauſam probare non poſſe, mobilis vulgi, ſuæ præſertim partis, aures blanda sua verboſitate, vellicare cupiebant, cui facilius ſua ſe probaturos confiderent, vtpote cui melius dixiſſe videtur ille, qui verboſius, viciſſe autem, qui vltimus dixit.

Nec eſt hæc noua poſtulatio, ſed olim etiam antiquis Hæreticis vſitata. Pari enim modo Fœlix ille Manichæus, cum quo diſputabat Auguſt. ſuæ ſectæ Auditores requirebat, quod tamen ab Auguſt. minimè potuit impetrare, vt videre, eſt ex actis ab Auguſtino deſcriptis. Sic enim habẽt. *Fœlix dixit, da arbitros quãtos habes &c. Et tibi ꝓbo quod nõ mẽſtitur.* (Manichæus) *Aug. dixit. Abſit à nobis & à gẽere hũano, vt quãtos hic vides, tãtos videas Maicheos. Fœlix dixit, da dixi q̃ à te petini. Aug. dixit, quos vis ergo vt dẽ tibi? Fœlix dixit, quos tu volueris. Aug. dixit, ego iſtos* (Cathol.) *do, ſi habes meliores, pete. Fœlix dixit, quomodo iſtos das? Aug. dixit. Praſẽtes qui nos audiũt. Fœlix dixit Iſti mihi nõ fauent. Aug. dixit. Ergo tu tales quaris qui tibi faueãt, non qui veritati &c?* ſed iam de Collocutoribus & Notariis, pro colloquio deſignatis agamus.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

DE COLLOCVTORIBVS ET *Notariis pro colloquio deſignatis: atq; initio ipſius Colloquij.*

INitio ſtatim Conſultationis viſũ eſt Principibus, ob confuſionem vitandam, non plures, quàm duos vtrinq; Collocutores eſſe deſignandos. Itaque à Sereniſſ. Bauariæ Duce deſignati tandem fuerunt, Albertus Hungerus Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & Procancellarius Academiæ Ingolſtadienſis, & Iacobus Gretſerus Societatis IESV, Sacro Sanctæ Theologiæ Doctor, & in eadem Academia Profeſſor: quamquam ea quidẽ deſignatio, (præſertim verò quo ad Doctorem Hungerum) aliquantò tardius facta eſt, eò quod exiſtimari vix poſſet, quantum quidem ex aduerſæ partis ſcriptis & reſcriptis colligere licebat, Prædicantes ad diſputandum adduci poſſe. Præter eos pauci quidam alij etiam Theologi, vel vt Conſultores, vel vt teſtes ſunt adhibiti; nimirum Georgius Lautherius, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & Præpoſitus Eſccleſiæ collegiatæ, Beatæ Virginis Monachij, Antonius VVelſer Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & Canonicus Friſingenſis, VVolfgangus Hanneman Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & Decanus ad Diui Petri Monachij, Canõicus Friſingenſis, &c.

Collocutores ab Illuſtriſſimo Palatino deſignati fuerunt, Doctor Iacobus Hailbronner, Concionator aulicus, & Doctor Ægidius Hunnius, Profeſſor VVittebergenſis è Saxonia: Præter quos ſua Celſitudo non ſolùm ex ditione ſubiecta, inſigniores quoq; Prædicantes, ſed etiam communicato cùm aliis Principibus confeſſionis Auguſtanæ, con ſilio, plures quoq; alios vndiq; accerſiuit, tùm ex Saxonia Electorali, tùm ex Ditione Vinarienſi, Brandeburgenſi, VVirtebergenſi Ducatu; qui etiam Neoburgi Ciuitate ducali Illuſtriſſimi Principis maturè congregati, ſedulò conuentus agere, de rei euentu accuratè deliberare, priuatis diſceptationibus ſe ipſos ad pugnã exercere, ſuas prius inter ſe opiniones conformare, nihil deniq; prætermittere ſtudebant, quod ad ſuam cauſam, valde alioquin per ſe nutantem, fulciẽdam facere poſſet: quod non ideò

comme-

Digitized by Google

commemoro, quia hanc qualécunq; induſtriam vituperandam cenſeam, ſed vt conſtet quam parum in ſua cauſa fiduciæ repoſitum habuerint Aduerſarij,& quantis adminiculis eorum cauſa indiguerit, vt ſuſtienri vel tantillum poſſet.

Præter Collocutores deſignati fuerunt ex vtraq; parte Notarij bini, cũ vno Aſſiſtente, ſiue Inſpectore Theologo, qui non tàm ſcribẽdo, quàm aduertendo Notarios iuuaret. Et ex parte quidem Catholicorum pro Notariis deſignati fuêre Leonardus Treitvvein, I.V.D. & Syndicus capituli Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonæ, Ioannes Erneſtus, V. I. Licentiatus. Inſpector autem Vvolfgangus Hanneman, ſacroſanctæ Theologiæ Doctor, qui nec ipſe quidem iniquos Nouellantiũ morſus euadere potuit, vtpote de negligentia accuſatus, quod acta ipſe non ſcriberet, cũ tamen non vt Notarius, ſed vt inſpector deſignatus fuerit, qui aduertendo tantùm Notarios, ſi quid è memoria excidiſſet, iuuaret; vt etiam factum eſt in Colloquio Ratisbonæ, Anno 1546. habito; in quo etiam prudenti præſidum Cæſareorum decreto ſtatutum fuerat: vt aſſiſtens Notariis aduerteret tantùm, nihil ſcriberet. Ex parte Lutheranorum deſignati pro Notariis fuerũt Georgius Gauglerus, Secretarius Palatinus, & M. Ioannes Gaſs. Inſpector autem, Doctor Chriſtophorus Morolt, Superintendens Heydeccenſis.

His ergo conſtitutis, cum Sereniſſimi atq; Illuſtriſſimi Principes vtriuſq; partis, cum ſuo quiſq; comitatu ad 26. Nouembris, Anno 1601. Ratisbonam adueniſſent, indictus eſt Diſputationi dies vigeſimus octauus eiuſdem menſis. Quo illuceſcente pro fælici diſputationis euentu, vt errantes non ſolum exterius de errore conuincerentur, ſed interius etiã diuina ſpiritus Sancti luce colluſtrati, viam veritatis & agnoſcerẽt, & re ipſa ſectarentur, annuentibus & præſentibus Sereniſſimis vtriuſq; Bauariæ Ducibus MAXIMILIANO & ALBERTO, in cathedrali templo officium de Spiritu S. catholico ritu ſolenniter celebratum eſt. Dehinc cum ad horam primam pommeridianam, vtriquè Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes, & in ijs quoq; Illuſtriſſimus Princeps VVOLFGANGVS GVILIELMVS natu maximus Illuſtriſſimi Comitis Palatini, cum ſuæ quiſq; partis Collocutoribus, Theologis, Notariis, & ſatis copioſo Auditorum numero, in deſtinata Aula Curiæ Ratisbonenſis comparuiſſent, diſputationi initium datum eſt, ijs auſpiciis, quæ ſequenti capite commemorabo.

Iam verò, vt ſimul omnia quæ ad Collocutores pertinent, abſol-

Digitized by Google

tiam, cum duarum ſeſſionum experimento palam compertum fuiſſet, vocem D. Hungeri imbecilliorem eſſe, quàm vt tanto Auditorio ſufficere poſſet, & mox etiam D. Gretſerum, præter naturalem laterum imbecillitatẽ, grauis quidã Catarrhus (communis eo tempore multorum affectio) inceſſeret, magisq; indies infeſtaret, ita vt duobus iam malis affectus, ſolus tantum laborem perpetuò & quidem intenta voce loquendi, ſuſtinere non poſſet, validis interim Prædicantibus ex aduerſa parte, coniunctis viribus, fortiter inſiſtentibus, & ad rauim vſq; declamitantibus, ideo pro re nata prudentiſſimè & æquiſſimè iudicauit Sereniſſimus Baiariæ Dux, aliquod huic malo remedium neceſſariò adhibẽdum.

Duabus igitur ſeſſionibus peractis, me, qui alioquin diſputationi præſens, quamquã non vt Collocutor aderam, per ſuæ Ser. Sup. Cancellarium, Nobilem & Magnificum Dom. D. Ioachimum Donſpergerum moneri clementiſſimè voluit, vt ſæpius meas quoquè partes interponerem: quòd cum humillimè me facturum recepiſſem; addidi tamen, metuendum eſſe, ne quod poſtea accidit, aduerſa pars contra me, vtpote, qui Collocutor deſignatus non fuerim, excipiat. Sed cum id tantum malum eſſe non videretur, quod ab obſequio Sereniſſimo Principi, alacriter præſtando auocare me poſſet, ſatisfeci ſuæ Ser.tis monitis vt potui, & in tertia ſeſſione meas quoquè ſubinde partes interpoſui; ita quidem, vt ipſi etiam Aduerſarij ſatis intelligerent, ſi facultas maximè; animum certe mihi & voluntatem diſputandi (re ſic exigente) minimè deeſſe.

At verò cum in eadem ſeſſione annuentibus quoq; noſtræ partis Collocutoribus & Theologis, nouum aliquod argumentum ab aduerſariis propoſitum, reſumere, atq; ad illud ex inſtitutoreſpondere vellem; tùm illi mox contra me inſurgere, & palam excipere; me collocutorem nominatum nõ eſſe, ideoq; minimè ſibi conſtitutum eſſe, me ad reſpondendum admittere. Quibus ego paucis in hunc ſenſum reſpondi, officium hoc, quod neceſſitas pro re nata poſtulare videretur, non ideo tantoperè impediendum videri: & ſi ſolummodò de nominatione ageretur, facile me nomen illis meum eſſe dicturum. Sed quia illi in ſua ſententia perſiſtebant, atquè etiam Illuſtriſſimus comes Palatinus ſignificare videbatur, æquam ſibi videri ſuorum collocutorum petitionem, ideò donec inter ipſos Principes res componeretur, pro tempore cedendum exiſtimaui.

Poſtero autem die, re inter vtrunquè Principem tranſacta, vtriuſq;

uſq; partis conſenſu ad ſeſſionem quartam; tertius ego ex parte Catholicorum collocutor, ex aduerſa verò parte(vt aiunt nihil enim omninò exploratè cognoſcere potui) Doctor Rungius conſtitutus & deſignatus fuit.

Ex qua veriſſima relatione iam per ſe, quaſi fumus, euaneſcunt illa duo mendacia, de Collocutoribus noſtræ partis ſparſa. Primum, quod Catholici in duabus ſtatim primis ſeſſionibus ita fuerint ab Aduerſariis conuicti, vt planè ſuccubuerint, & elingues redditi fuerint, quod figmentum etiam manifeſtius eluceſcet infrà, cum argumenta Aduerſariorum in duabus illis ſeſſionibus propoſita, & reſponſa noſtrorum referentur.

Alterum, quod ego homo vtiq; arrogantiſſimus & inſolentiſſimus, me ipſum in diſputationē intruſerim, cū in hac re, nihil non tùm ex iuſſu ſuæ Ser.tis tū ex voluntate quoq; noſtræ partis Collocutorū & Theologorum, fecerim. De mea inſolentia & arrogantia quod alioquin dictitāt, fateor tam ſuperbum me eſſe, vt nulli hæretico in publica religionis & fidei cauſa cedendum exiſtimem. Interim quod tanti Doctores hominem vnum, qui ad diſputationem quoque velut diſputaturus non acceſſerat, tantopere initio ſtatim reformidare viſi ſunt, parùm profecto ſuam ſuæque cauſæ exiſtimationem exornarunt.

Addunt vero plura alia in me conuitia. ſed quid iuuat calumniari, quem nocere non potes? Addunt etiam minas, ita vt grauium virorum relatione, ad Sereniſſimorum quoque Principum aures acciderit, eas quorundam minitationes fuiſſe auditas, quibus pronunciarint, mihi aut ferro, aut veneno eſſe moriendum. Quibus etiam ſermonibus fortaſſe motus Sereniſſimus Bauariæ Dux, pro Ducali ſua erga ſubditos cura, vltimis Colloquii diebus, collocutoribus Catholicis ex diſputatione veſpertina, nocturno ſcilicet tempore, domum redeuntibus, ſatellites quoque tanquam vitæ defenſores adiunxit. Sed quid miſeris feci? Cauſam noſtram non prodidi, quod ſi facerem, infœlix morerer, ſi non facerem, etiamſi idcirco mori contingeret, infœlix non eſſem.

Præterquam igitur quòd vix, licet ea de re ſæpius monitus, adducar vt credam, eiuſmodi terriculamenta ſeriò à quoquam intentata: etiamſi tamen hoc ita ſit, eiuſmodi minis, quæ me fœlicem reddere poſſunt, parū moueor; ſicut & conuitia ab iſtis in meam ſolummodo perſonam iacta contemno. Hoc ſolùm cupio, vt mihi fas ſit dicere, (quod

Digitized by Google

vna mecum ſentit vniuerſitas Eccleſiæ) iſtos qui talia ſpargunt, ſi quidē Lutheranis, Caluinianis, aliiſuè ab Eccleſia Catholica damnatis opinionibus pertinaciter adhæreant, hæreticos eſſe, qui proinde fidem non mereantur, quam Deo negarnnt. Sed iam quibus auſpiciis cœpta ſit diſputatio, videamus.

CAPVT TERTIVM.

QVAM INIQVIS POSTVLATIS, initio ſtatim colloquij, Aduerſarij tempus protraxerint, ne ad ſuarum theſium probationem venire cogerentur.

OMiſſis illis diuerticulis, quæ ante diſputationem vtriuſq; Principis authoritate condictam, conquiſiuerunt Prædicantes, vt ſe diſputationi ſubducerent, quæ capite primo ſatis iam inſinuauimus, illud hoc loco prætermittendum non eſt, quàm iniqua tergiuerſatione, vix iam cœpti colloquii curſum, aut abrumpere, aut ſaltem interrumpere conati fuerint. Itaquè ſeſſione prima cum prælecta, nomine Principum, propoſitione colloquii, prælectis etiam ab vtraq; parte theſibus, eò iam peruentum eſſet, vt Aduerſariis, iuxta conuenta, ad ſuarum theſium probationem accedendum eſſet, hunc protrahendi temporis modū inuenerunt. Lectis enim ſuæ partis theſibus addidit D. Hailbronner, ſuo & ſuorum nomine, ſe, quandoquidem non ſua tantum propugnanda, ſed aduerſæ quoq; partis opiniones oppugnandas ſuſcepiſſent, petere vt circa catholicorum theſin duo declarentur, quæ in ea deſiderari animaduertant. Primū, ſi quidem ſola ſcriptura non ſit vnica norma & iudex omnium controuerſiarum religionis, quis præter eam iudex ſit agnoſcendus; an Pontifex; & quidem in ſpecie, an cum Concilio, an etiam abſquè Concilio; an cum diligentia, an verò etiam abſquè diligentia definiens? Alterum, quæ nam in ſpecie ſint illæ traditiones, & Eccleſiæ definitiones, quæ iuxta theſin præter ſcripturam pro infallibili fidei norma ſint agnoſcendæ; Earum igitur vt Catalogus exhibeatur, ſe etiam atq; etiam orare.

Sed

Sed cum animaduerterent collocutores Catholici, hæc poſtulata prorſus iniqua, & ſolùm tergiuerſandi ſtudio excogitata, meritò vtrũq; recuſandum cenſuerunt. Et primum quidem illud ob has rationes. Prima, quia cum in theſi Catholicorum ſatis expreſſum eſſet, quòd Eccleſia ſit iudex controuerſiarum, hoc ipſo quòd aſſertum eſt, neceſſariò quoq; præter ſcripturam, Eccleſiæ (quo nomine probè ſciebant Aduerſarij à Catholicis in hac materia Prælatos Eccleſiæ deſignari) definitiones pro norma infallibili religionis eſſe ad mitẽdas; non erat, quod amplius circa iudicem meritò requirere poſſent Aduerſarij.

Secunda, cum ſcirent Noſtri, quàm Aduerſarij in Romanum Pontificem eſſent impudenter dicaces; atq; ideo prudenter timerent, ne mox ſuo more ab inſtituto digreſſi, in Pontificem intempeſtiuè declamitare, ſuasq; vt poſtea accidit, calumnias iacere inciperent, à quibus, ſi amicum ipſi colloquium ſeriò expeterent, penitus haud dubiè abſtinendum erat; non immeritò iudicabant ab eius expreſsa appellatione, tantiſper abſtinendum, dum res ipſa, progreſſu diſputationis, eam declarationem exigeret, cum præſertim tunc de probanda ſolùmmodo theſi Aduerſariorũ, non autem improbanda theſi Catholicorum ageretur.

Tertia ratio eſt, ex qua patet iniquum omninò fuiſſe poſtulatum illud, præſertim quo ad eam partem, quam maximè vrgebãt Aduerſarij. Illud enim, an Põtifex ſit iudex cũ cõcilio, an abſq; cõſilio; an cũ diligẽtia, an etiam abſq; diligẽtia definis, eò non ſpectat, vt declaretur quis nã ſit iudex, quod in theſi ſolùm ex pactis declarandum erat, ſed aliò refertur, nempe vt intelligatur, quibus medijs vti iudicem oporteat, vt ſua illa iudicandi authoritate, ritè, legitimè, atq; infallibiliter vtatur. Quemadmodum in cauſis etiam ciuilibus alia quæſtio eſt; quis ſit iudex; & alia; quibus medijs vti iudex debeat, vt ſua illa authoritate legitimè, & abſq; errore vtatur: An V. G. leges tam imperatorias, quàm municipales ſæpius reuoluere teneatur, an etiam ſapientes quandoq; in caſibus difficilioribus conſulere, &c. Alioquin etiam ad Aduerſarijs in ſua theſi exprimendum fuerat, quibus medijs verus & germanus ſcripturæ ſenſus, quem ipſi iudicẽ ſtatuerunt, infallibiliter eliciatur, an ſufficiat Oratio, an opus ſit etiam collatione locorum, peritia linguarum, cognitióe Hiſtoriarum &c. quod tamen nec fecerunt ipſi, nec vt facerent, iure ab eis poſtulari poterat, neq; ſi poſtulatum fuiſſet, ab eis, ſat ſcio, vlla ratione fuiſſet impetratum.

Alterum autem poſtulatum manifeſtè iniquiſſimum erat: Primo quidem

rem quòd quæſtio illa, quænã videlicet in ſpecie traditiões præter ſcripturã, vt infallibilis fidei norma, ſint agnoſcendæ, alieniſſima eſſet ab inſtituto & propoſito diſputationis themate, quod in eo ſolummodò verſabatur, an tota ſcriptura ſit vnica norma omnium controuerſiarum, an verò aliquæ aliæ religionis regulæ, præter ſcripturam ſint admittendæ, & quæ nam generatim illæ ſint: Cum eo tempore cogitatum minimè fuerit, in ſpecie de his vel illis fidei articulis diſputare, vt ex actis, quæ diſputationem præceſſerunt, patet: quod tamen neceſſariò faciendum erat: ſi in ſpecie de traditionibus his vel illis eſſet diſputandum. V. g. de cultu imaginum, de inuocatione Sanctorum &c. Cum hæ ipſæ traditiones particularia quædam fidei dogmata ſint.

Deinde quia nec ipſi quidem Aduerſarij in ſuis theſibus declarauerant, quæ nam in ſpecie ſint illa Prophetarum, Euangeliſtarum, Apoſtolorum &c. ſcripta, quæ ipſi pro vnica norma controuerſiarũ religionis ſtatuerant: nec expreſſiſſent etiam hoc vnquam, licet poſtulatum ab eis fuiſſet, cum id tamen longè maiore ratione ab illis poſtulari potuiſſet, tanquam generalius quid, & magis ad rem pertinens: non inquam expreſſiſſent, eò quod ipſi inter ſe de hoc ipſo, ſacrorum videlicet librorum numero, minimè conueniant: ex ipſis ſane collocutoribus vnus, Hunnius ſcilicet Apocalypſin tanquam canonicam ſcripturam, & Euangelicam Ioannis Apoſtoli Prophetiam prædicat & veneratur; alter, Hailbronnerus eam ipſam è ſacrorum librorum canone extrudit.

Ob has igitur & plures alias iuſtiſſimas cauſas, ex quibus manifeſtè liquet, hæc poſtulata vtpote iniquiſſima, tantum tergiuerſandi ſtudio ab Aduerſarijs fuiſſe excogitata, diu & conſtanter noſtri poſtulatum vtrumque recuſaruut, polliciti tamen ſæpiùs, ſe ſuo tempore, cum id res & argumenta Aduerſariorum poſtularent, abundè petitioni ſatisfacturos. Interim vt dialecticè agerent, & quod commodè facere poſſent, vt iuxta legem tertiam ad ſuæ theſis probationem progrederentur, neque moras necterent, & effugia vana quærerent: nec enim opus eſſe, vt qui ſuum iudicem demonſtrare & argumentis confirmare velit, nôrit alienum.

Et quia obijciebant Aduerſarij, ſe iure ſuo iuxta tertiam legem petere explicationem terminorum, Iudicis, ac Normæ, exprimendum proinde quis Iudex ille ſit, quæquè in ſpecie traditiones pro norma agnoſcendæ. Reſponderunt noſtri, has quæſtiones non ſpectare ad expli-

cationem

Digitized by Google

cationem terminorum: aliud enim eſſe termini explicationem, hoc eſt, quid nomen aliquod ſeu terminus ſignificet, & aliud, cui nam rei explicata nominis notio in ſpecie conueniat, hæc enim diſtinctiſſima eſſe, norunt omnes. Aliud enim eſt, V. g. quid Imperatoris nomine ſignificetur, oſtendere, aliud declarare, cui nam perſonæ imperatoria dignitas re ipſa conueniat. Primum enim ſciunt multi, qui poſterius ignorant. Itaquæ terminos quidem Iudicis & Regulæ libenter ſe declaraturos, quandoquidem Aduerſarij ſignificent, ſe eos non intelligere, at quis nam in ſpecie Iudex ſit, quibuſque medijs vti in definiendo debeat, & quæ nam in ſpecie traditiones ſint pro regula infallibili agnoſcendæ, nullo iure poſtulari. Et certè Aduerſarij hac ſua inſtantia de termini explicatione, manifeſte ſuam in arte dialectica imperitiam omnibus notam fecerunt, vt qui nec artis dialecticæ communiſſimos terminos intelligerent, quid videlicet ſit, quid nominis, & quid rei, quid ſit terminum explicare, & quid illud, cui notio explicati iam termini conueniat.

Sed fruſtra inſtabant noſtri, atque eo planè iam deuentum erat, vt Aduerſarij palam teſtarentur, ſe progreſſuros non eſſe, niſi ſuis petitionibus ſatis fiat: quo circa etiam à Sereniſſimis & Illuſtriſſimis Principibus petere veriti non ſunt, vt vel per mandatum iniungerent Catholicis petitam nominationem ſui iudicis. Vrgebat etiam interim Hunuius noſtros ex ſcriptura, perquam acuto ſanè argumenro, quod ſic ſe habet. Petrus ait, 1. Pet. 3. quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei. Reſpondit D. Gretſerus, Petrum non dicere (vt corruptè Aduerſarius citârat) quouis tempore fidei rationem reddendam, ſed vt quis omni tempore paratus ſit, ad rationem fidei ſuo tempore reddendam. Quæ reſponſio certè ex ipſo textu clariſſimá eſt, & cuiuis obuia: alioquin enim ſi ille, quem Hunnius volebat, ſenſus fuiſſet, ſequeretur, Adverſarijs, non tantum circa illam quæſtionem quam propoſuerant, ſed etiam quodlibet aliud circa fidem interrogantibus, quantumuis à propoſito alieniſſimum, reſpondendum fuiſſe: ideòque vel a ſomno quoque & cibo ſurgendum, ſi quando id petijſſent Aduerſarij, quod nemo non videt abſurdiſſimum eſſe. Et tamen tam improbè confidens erat Hunnius, vt cum reſponſionem refutare aliter non poſſet, exclamaret, eam manifeſtiſſime contradicere prolatæ S. Pauli ſententiæ, ideoque palam ad iudicium Auditorum prouocaret.

Digitized by Google

Interim Sereniſſ. Bauariæ Dux, cum amplius quàm horæ ſpatium eiusmodi intempeſtiuis poſtulationibus Aduerſariorum fuiſſet abſumptum, ipſiq; Theologi Catholici iure quidē potuiſſent vel eo ſtatim die colloquium abrumpere, propter poſtulationes alterius partis tam iniquas, quibus non conceſſis, iam palàm profitebatur Aduerſarij, ſe in colloquio progredi non poſſe, attamen conſultatione cum ſuis Theologis habita, ne colloquium vix cœptum mox in nihilum recideret, concedendū aliquid Aduerſariorum importunitati eſſe duxit, Cū ſimul Illuſtriſſ. quoq; Palatinus cum ſuis priuatim colloqueretur. Tunc ergo P. Gretſerus ſuo & ſui collegæ nomine palam edixit, velle ſe quidē, petitioni primæ Aduerſariorum ſatisfacere, hac tamen conditione, vt Aduerſarij poſtea ſine cunctatione deſcendant ad probationem theſium ſuarum; ſimul etiam proteſtatus, ſe quod faceret, non ex debito, ſed in gratiam Sereniſſimorum Principum facere. Et licet Aduerſarij quidem rurſus inſtarent, vt alteri quoq; petioni ſatis fieret, & traditiones ſpecificarentur, à Sereniſſ. tamen Bauariæ Duce repulſam paſſi ſunt, cum diceret, æquum eſſe, vt cùm iam illis cōceſſum ſit aliquid, & ipſi viciſſim nobis concedant etiam aliquid. Quo facto P. Gretſerus, quod petebant circa iudicem voce palam declarauit, vt quidem in theſi, quæ poſteà à Theologis Catholicis tradita eſt, explicatum habetur, quæ ſic ſe habet.

Sacra ſcriptura non eſt iudex omniū controuerſiarum fidei & religionis Chriſtianæ, ſed hoc munus pertinet ad Pontificem Romanum, eoque hodiè fungitur Clemens VIII. Petri Succeſſor, Chriſti Vicarius. Cuius definitio toti Eccleſiæ, cum authoritate propoſita, in controuerſis religionis quæſtionibus decidendis infallibilis eſt, ſiue cum Concilio, ſiue abſq; Concilio definiat. Eſt quidem ſcriptura religiōis norma infallibilis, verùm nec ſola, nec vnica, ſed præter hanc neceſſariò admitti debent traditiones, & Eccleſiæ definitiones, Doctorumq; Orthodoxorum conſenſus &c.

CAPVT QVARTVM.

DE PRIMO ARGVMENTO Aduerſariorum, & reſponſionibus Catholicorum.

Cùm

Cum ſatis ergo iam diu tergiuerſati fuiſſent Aduerſarii, tandem argumenta ſua promere cœperunt.

Argumentum autem primum Aduerſariorum erat tale. *In rebus fidei religionis, & cultuum, illud tantùm, quod nec additionem, nec detractionem patitur, pro norma eſt agnoſcendum & vſurpandum: Solum Dei verbum ſcriptum, nec additionem, nec detractionem patitur: Ergò illud ſolum pro norma fidei, religionis, & cultuum eſt agnoſcendum.* Et cum negata fuiſſet minor propoſitio; eiuſquè probatio adducta ex Deuteronom.4. 5. &12. Prouerb.30. Ezech.20. vbi omnis additio ad verbum Dei ſcriptũ vetetur, etiam quibuſcunquè Magiſtratibus & Sacerdotibus;

Reſponſum eſt conſtanter: Quod in citatis locis, Magiſtratibus populi ſolummodò ſit prohibita additio contra legem ſcriptam; non autem ea, quæ à legitimis Magiſtratibus fiat pro conceſſa eis diuinitus poteſtate, extra legem ſcriptam, de qua ibi ſit ſermo.

Quam reſponſioně cum Aduerſarii refutare non poſſent, petiuerunt eam à nobis probari; Et quamuis ea probatio minimè eſſet debita, cum reſpondenti non incumbat probandi & argumentandi munus; probata tamen eſt validiſſimè. Primò ex eo quia ſi abſquè omni limitatione intelligerentur illa loca, præſertim Deuteronom. ita vt per ea, omnem omninò additionem ad ſcripturam intelligamus prohibitam, tunc malè vtiquè feciſſent Prophetæ & Apoſtoli, & Euangeliſtæ, & ſcriptores poſteriores omnes, tàm noui quàm veteris teſtamenti, quod plura addiderint illi Legi ſcriptæ, cui Deus quicquam addi prohibuerat in Deuteronomio. Ad quod nihil ab Aduerſariis potuit reſponderi; niſi duo hæc abſurda, primum, quod nullum nouum dogma, ſeu cultus ſit additus; quod demonſtratum eſt, eſſe euidenter falſum; eò quod de baptiſmo & Sacramentis nouæ Legis (vt taceantur multæ feſtiuitates etiam in lege veteri, poſtea primùm introductæ) nulla præcepta in Deuteronomio, vel etiam integro Pentateucho Moyſis ſint tradita; nihil etiam de Eccleſiæ Chriſtianæ diffuſione ibi habeatur, &c. Alterum reſponſum. Quod illæ additiones ſint factæ diuina authoritate & poteſtate: quaſi verò nos dixerimus licitas eſſe additiones, quæ fiant abſquè diuina authoritate; cum nos ipſi quoquè Eccleſiæ decreta & traditiones tanquam à diuina authoritate profectas veneremur, iuxta illud, Luc.10. *Qui vos audit, me audit*, vt poſteà etiam ſuo loco probatum eſt.

Secundò probata eſt ea Catholicorũ reſponſio, quia etiam in veteri teſtamento admittendæ fuerunt traditiones aliquæ non ſcriptæ; cum a-

Digitized by Google

liqua ad religionem ſpectantia non niſi ex traditione non ſcripta cognoſci potuerint. Talia ſunt; primum, remedium contra peccatum originale pro fœmellis. Secundum, remedium contra peccatum originale pro maſculis decedentibus ante octauum diem. Tertium, quod libri Moyſis ſint Canonici. Quartum, declaratio ipſius ſcripturæ, & deciſio omniũ controuerſiarũ, etiam religionis, quæ à Sacerdote ſummo erat petenda. Deuter. 17. Mala. 2. Agg. 2. Matth. 14. Neq; vero obſtare illa verba; iuxta legem: tùm quia hæc aſſertiuè, non hypotheticè, & conditionaliter dicantur; tùm quia non eſt idem; iuxta legem, quod, apertè contentum in lege.

Nec omninò vllam ex prædictis inſtantiam potuerunt refellere; licet vel latronẽ è cruce aduocarint; & in illud quoq; Caluiniſtis affine dogma prolapſi ſint, quod infantes etiã ſine baptiſmo ſaluẽtur. quid? quod & tertiam illam inſtantiam de Canone ſanctorum librorũ apertè cõceſſerit Hunnius, aſſerens non eſſe quæſtionem & controuerſiam de illa traditione. Sed ſanè ſic ſe, ſuosq; Commilitones penitus iugulauit: Hoc ipſo enim quòd vel vnica admittitur non ſcripta traditio ad religionem tamen & fidem pertinens in veteri teſtamento; planè tota vis argumenti ex locis illis Deuter. extructi, concidit; Falſum enim eſt conſequenter, quod Deus per illa verba; non addes, &c. hoc tantùm, &c. excludat omnes omninò traditiones veteris Eccleſiæ fidem cõcernentes, vt iſti probare volebant & debebant. Falſum, quod traditiones Eccleſiæ Catholicæ non ſcriptæ ſint prohibitæ locis illis Deuteronomii. Falſum quoquè quod ſcriptura ſit vnica norma omnium controuerſiarum religionis, vt ipſi in ſuis theſibus aſſeruerant, & probandum ſuſceperant. Et certè quia loca illa alioquin generalia ſunt, nec in ipſis excipitur vna traditio potius quàm alia, neceſſariò fatendum, quod illa loca traditionibus non ſcriptis nihil obſtẽt; modò alioquin per legitimos magiſtratus conſtituantur, nec verbo Dei repugnent. Sic ergò iam in primo cõgreſſu, dũ improuide pugnaret Hunnius, aduerſariis ſuis arma ſubminiſtrauit, quibus deinde penitus confectus & enectus eſt, vt ſuo loco patebit.

CAPVT QVINTVM.

IN QVO DVÆ QVÆDAM APpendices eiuſdem argumenti cum ſuis reſponſionibus afferuntur.

Præ-

Digitized by Google

PRæcedenti argumento, quaſi appendicis loco, ſine ordine tamen vllo vel cõnexione annectebãtur hæc loca ſcripturæ, Eſ.8. *Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Ioan.5. *eſt qui iudicabit vos Moyſes.* Ioan. 12. *Chriſtus ſermonem ſuum vocat iudicem in nouiſſimo die.* Ex quibus inferre debebant Aduerſarii ſcripturam ſolam eſſe aut normam, aut iudicem, &c.

Sed reſponſum eſt reprehendi in primo loco eos, qui contra apertum Dei verbum conſulunt Pythones; non autem qui quippiam faciũt aut decernunt extra legem, non contra legem. Non enim idem eſſe, iuxta legem, &, expreſſum in lege. Additum eſt etiam, illic mitti ſimul homines *ad viuos*, nempe Sacerdotes. Quam explicationem ne admittere cogeretur Hunnius, ideo per *viuos*, ipſum Deum viuentem intelligendum eſſe dicebat, habens vt apparet, plures viuos Deos, quàm vnum.

Ad ſecundum & tertium primo generatim ſuprà reſponſum fuerat, quòd ſcriptura impropriè quandoq; iudex dicatur, vt interdum à Iuriſtis Iuſtinianus; cũ tamẽ interim alio omninò viuo iudice opus ſit. Addi potuiſſet, circa illud Ioan.5. falsò citatum textum, cum ibi habeatur. Eſt qui accuſat vos; (in græco κατηγορῶν) non; iudicabit vos Moyſes.

Deinde verò ad tertiũ ex Ioannis 12. reſponſum eſt, eum, cũ Chriſtus ibi ſolum loquatur de nouiſſimo die, ad inſtitutum non facere: Quamquam etiam Prædicantes, vt infrà ſuo loco patebit, ſcripturam non niſi pro nouiſſimo die iudicem agnoſcere cogantur, ſi viri conſtantes eſſe volunt.

Occaſione reſponſionis illius, qua dictum fuerat à Doctore Grettcero, quòd Sacerdotes veteris quoquè legis poteſtatem habuerint explicandi legem; & quod eorum explicationi & determinationi in cauſa religionis dubia omninò, etiam ſub pœna mortis, ſtandum fuerit, hoc argumentum produxerunt Aduerſarii, quod tametſi ſparſim & confusè propoſitum ſit, in hanc tamen formam redigi poteſt: Etiam ipſi ſummi Sacerdotes veteris Teſtamenti ſæpe errarunt: Ergo non abſolutè audiendi, ac proinde ipſorum decreta non poſſunt eſſe infallibilis regula fidei; ſed ſola ſcriptura. Antecedens autem probatum eſt multis exemplis; nempe Aaronis, Exod.32. Vriæ, 4.Reg.16. & 2 Paralip.28. Caiphæ, Matt. 26. Secundò allatus quoq; locus ex Eſaiæ 56. neſcierunt vniuerſi. Et Matth.16. *Attendite vobis à fermento Phariſæorum.*

Digitized by Google

Sed reſponſum eſt conſtanter, & ſolidè ad omnia iſta loca: de & inprimis generatim, quod his locis probetur quidem Pontifices errare poſſe, tùm in facto ſeu moribus, & ipſius quoquè cultus diuini exercitio: tùm in doctrina priuata; tùm etiam in definiendo, eos, qui ſummi ſacerdotes abſolutè non eſſent, atquè adeò ſummam poteſtatem iudiciariam in terra circa religionis controuerſias non haberent; id quod à Catholicis nunquam negatum fuerat: nullo autem modo ex illis locis probari poſſe, quòd ſummi Pontifices etiam veteris teſtamenti, quibus ſumma poteſtas iudiciaria in terris circa religionis controuerſias decidendas conueniebat, errarint vnquam in definiendo, ſeu proponendo aliquid cum publica authoritate, circa dubiam aliquam religionis controuerſiam, toti populo obſeruandum: id quod ſolummodò Catholici negabant. In ſpecie verò ad exemplum Aaronis reſponſum eſt primò. Aaronem nihil definijſſe circa idololatriam: ſed vi populi adactum, ſolùm conſenſiſſe, & fortè ipſo quoque facto cooperatum fuiſſe: at nihilominus ei totam culpam tribui, quia videlicet ipſe cum authoritate populo tametſi contumaci ſeſe opponere debebat. Et licet collatis viribus conati ſint oſtendere Aduerſarii, quod populus non fuerit author Idololatriæ, ſed Aaron; contrarium tamen ex ipſo textu euidenter oſtenſum eſt, citato cap. 32. Exod. verſ. 1. & verſ. 22. vſque adeò, vt Rungius Saxonicus quoque prædicans ſeſſion. 2. faſſus ſit, à populo incitatum & inſtigatum fuiſſe Aaronem, vt in talem Idololatriam conſentiret: licet abſurdè interim addiderit; Aaronem tamen fuiſſe authorem, non populum; quaſi verò author ſceleris non ſit ipſe primus inuentor & incentor ſceleris.

Secundò reſponſum eſt, Aaronem tunc non fuiſſe ſummum Sacerdotem, ſed Moyſen, quod demonſtratum eſt, tum ex illo. Pſalmi 99. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius:* vbi Moyſes Aaroni præponitur, tùm quia Moyſes Aaronem conſecrauit, & quidem primum poſt commiſſum illud à populo Idololatriæ ſcelus, Exod. 29. Leuit. 8. Vnde palam eſt Aaronem eo tempore, quo vitulum adorandum populo conceſſerat, nondum fuiſſe ſummi illius ſacerdotij dignitate initiatum. Et cum negare viderentur Aduerſarij, Moyſen ſacrificaſſe, euicerunt hoc Noſtri & demonſtrarunt euidenter ex ijſdem locis ſcripturæ: licet poſtea Moyſes ordinariè eiuſmodi ſacerdotalia munera non obierit.

Ad exemplũ Vriæ reſponſum eſt, eum ſolùm erraſſe in facto, transferendo ſcilicet altare Domini, & nouum ædificando, contra diuinum mandatum, non autem in definiendo, vt ex textu patet.

Ad

Digitized by Google

Ad Caipham reſponſum eſt, mirum non eſſe, quod Caiphas tunc non habuerit amplius infallibilem aſſiſtentiam Spiritus S. in definiendo, cum non haberet amplius ſumam poteſtatem iudiciariam in terris: tùm quia lex et Cathedra Moyſis iam tempore paſſionis Chriſti erat prope interitum, tùm quia ſumma poteſtas iudiciaria erat iam tunc penes Chriſtum, Caipha vtiq; ſuperiorem, cui nihil derogare poterat iudiciaria illa poteſtas Caiphæ. Itaq; firmum & inuiolatum manere ſemper, quod ſummus ſimpliciter Pontifex, retenta ſumma ſua iudiciaria poteſtate, errare in definiendo non potuerit.

Nec obiicere quicquam potuerunt Aduerſarij, niſi quod ſeſſione 3. neſcio quo ſpiritu Hūnius ſubitò in Iudæū ut apparet transmutatus exclamauit, Cathedram Moyſis non eſſe temporalem ſed æternam. Quæ ſententia tanquam iudaica, meritò exploſa eſt, cum Chriſtiani à Chriſto didicerint, *Propheta & lex vſq; ad Ioannem.*

Ad illud Eſaiæ 56. reſponſum eſt primò, vſitatam eſſe in ſcriptura phraſim, vt quod pleriſq; conuenit, omnibus tribuatur, iuxta illud, *omnes declinauerunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum &c. Omnis homo mendax &c.* Cum tamē vtiq; Chriſtus, Beata Virgo, Ioannes Baptiſta, Apoſtoli à Spiritu ſancto confirmati, mendaces non fuerint. Secundò reſponſum eſt, illud intelligendum eſſe de doctrina priuata, non de publica, qua cum authoritate aliquid definiatur. Et ſanè neutra reſponſio potuit, nec poterit vnquam refutari.

Ad illud Matth. 16. reſponſū eſt non eſſe illic ſermonem de doctrina publica, qua Phariſæi & Pontifices quidpiā ex Cathedra definirent, hanc enim Chriſtus non improbauit, ſed commendauit, Matth. 23. *ſuper Cathedram Moyſis ſederunt &c:* ſed tùm de moribus, tùm de priuatis traditionibus, & δευτερώσεσι quas priuata ſuperſtitione Phariſæi confinxerant. Itaque minime negatū fuit, vt falſo dixit Hailbronner, per fermentum Phariſæorū intelligi etiam doctrinā, cum ſolūmodo negatum ſit, intelligi Doctrinam illam publicam, qua cum Authoritate aliquid ex cathedra fuerit definitum.

Et hæc cum ita dicta fuiſſent, nec refelli poſſent, tandem in ſeſſione tertia, ne cogerētur Aduerſarij penitus obmuteſcere, præter inſtitutum omne, arrepta mox occaſione, incipiunt calumniari Papam, & quærere vnde conſtet, quod errare non poſſit, cum omnis homo ſit mendax, an ſit duplex homo, an ſimplex, ſi aliud ſentiat corde, aliud ore decernat, hypocritam fore peſſimum &c. Hoc enim eſt iſtorum hominū conſue-

Digitized by Google

tum refugium,quo & in cathedris,ſi aliud non occurrat, ſtudioſe ſe recipiunt. Nec abs re fuiſſet,ſi obijciens illum locum; *Omnis homo mendax*; audijſſet Aduerſarius,id quod olim Fœlici Manichæo, qui eundẽ quoq; locum obiecerat Auguſtino, reſpondit Auguſtinus in breuiculo Collationis lib. 1. cap.6. & 7. *Tu quidem*,inquit,*homo es,& ſicut res ipſa modo declaratura eſt, mendax,&c.*

Sic igitur etiam in hoc conflictu res geſta eſt, Aduerſarijs vt oſtenſum eſt,in eas anguſtias redactis,vt alteri quidem opus fuerit ſcripturam falſò citare, alteri perpetuitatem cathedræ Moſaicæ aſtruere; quã ſi forte adhuc erigere cogitat Hunnius, inprimis Saxoniam vitet neceſſe eſt, cui ſuillam Moſaicus Doctor nunquam adimet. Sed iam ad ſecundũ argumentum tranſeamus.

CAPVT SEXTVM.

DE ARGVMENTO SECVNDO Aduerſariorum,& reſponſionibus Catholicorum.

SEcundum argumentum Aduerſariorum hoc erat: *Inductione exemplorum probari poteſt*,inquit Hailbronner,*omnes pios verbum Dei ſcriptum pro vnica norma agnouiſſe,eosq́; hoc nomine à Deo laudari,quod ſecundum vnicam hanc normam ſcripti verbi religionis cultum inſtituiſſent*,vt plurima ſcripturæ exempla (quæ etiam prolixe tunc allata ſunt) teſtantur. Ex quibus hoc confectum eſt argumentum, & quidem in forma ſyllogiſtica. *Si omnes exercitiorum religionis conſtitutiones & reformationes Deo placentes veteris teſtamenti inſtitutæ ex ſolo Dei verbo ſcripto; vel ſecundum illud fuerunt ſuſceptæ;fuit profectò verbum illud ſcriptum vnica, totalis, perfectiſſima & exactiſſima norma religiõis & fidei:at verò omnes reformatiões Deo placẽtes tempore veteris teſtamenti ſuſceptæ,ex ſolo verbo ſcripto,vel ſecundum illud fuerunt inſtitutæ,nec diſſimile exemplũ reperiri poteſt, quod aliqua ex verbo non ſcripto fuerit ſuſcepta,& Deo placuerit: Ergò illud ſcriptum Verbum fuit & eſſe debuit vnica,totalis, exactiſsima,& perfectiſsima norma religiõis & cultuũ.* Vnde rurſus vlteriꝰ colligitur,*quod rectè fecerint Electores & Principes ſacri Imperij, qui ſecundũ vnicam illam normã Eccleſias ſuas reformarunt.* Ita argumẽtum

Sed quale Reſponſum? Expectarunt credo aduerſarij ſibi negatum iri propoſitionẽ minorem; quaſi verò aliqua reformatio religionis laudata ſit in veteri Teſtamento,quæ non ſecundum verbum ſcriptum eſſet inſtituta. Ad hanc enim minorem probandam ſpectabant illa, pluſquàm duodecim exempla ſcripturæ, fruſtrà allata. Sed à Catholicis ſequela ſeu conſequentia maioris illius propoſitionis eſt negata;& dictum, conſe-

quens

Digitized by Google

quens minimè eſſe; ſi laudantur illi, qui inſtituerint ſuum cultũ ſecundũ verbum ſcriptum, quòd expreſſum Dei verbum ſit norma ſola & vnica.

Nec hanc reſponſionẽ aliter oppugnare potuerunt, niſi quod eandem ſequelam ſubinde iteratam denuò inculcarunt, petendo exemplũ diſſimile, in quo videlicet laudati non ſint, qui juxta verbum Dei ſcriptũ, reformationẽ religionis inſtituerũt. Addiditq; Hũnius, hanc eſſe rationẽ argumẽtandi per inductionem, vt cum quis eam per contrariã alicuius exempli inſtãtiam infringere non poteſt, inductio ſuam vim retineat.

Sed reſponderunt noſtri, non fuiſſe à ſe negatam propoſitionem inductione confirmatam, illam videlicet, qua dictum fuerat: Omnes illi qui religionem reformarunt ſecundum ſcriptam legem, ſunt laudati: ſed negatam eſſe ſolùm ſequelam ex hac propoſitione illatam, qua dictum fuerat, ſi omnes illi ſunt laudati, qui religionem ſecundum ſcriptam legẽ reformarunt, tunc ſequitur, eam eſſe ſolam & vnicam normam omnium controuerſiarum religionis. Itaq; non eſſe opus aliqua inſtantia contraria inductionem infringere, vtpote à ſe conceſſam.

Se quia indocti ſyllogiſtæ ea quæ tunc breuiter dicta fuerunt, nec dũ intellexiſſe, aut non voluiſſe intelligere videntur; id eis paulò melius declarabo. Aliud ergò eſt, propoſitionem inductione probatam negare; aliud ſuppoſita & conceſſã propoſitione per inductionem probatã, negare aliquam conſequentiam, quæ ex eiuſmodi propoſitione conceſſa infertur. Qui primum illud facit, atq; adeò negat propoſitionem plena inductione probatam, tenetur omninò diſſimilẽ inſtantiam ſiue exemplũ adferre, eoq; inductionem infringere; aut certè aliquam rationem peculiarem aſſignare, cur in omnibus alijs exemplis ꝓcedat inductio, in certo autẽ exemplo quod in controuerſia eſt, non procedat. Sed cum quis negat ſolùm conſequentiam ſiue concluſionem, ex propoſitione per inductionem probata & conceſſa deductam, tunc ſanè minimè neceſsè eſt, aliquo diſſimili exemplo infringere inductionẽ, vtpotè conceſſam: quod vel hoc exemplo rudibus etiam quibuſq; manifeſtum fiet. Qui negaret V.g. propoſitionem hanc vniuerſali inductione probatã: Omnis cygnus eſt albus; Is quidẽ cogendus eſſet, vt aliquo exemplo diſſimili inductionẽ eneruaret, oſtenderetq; aliquem cygnum non albũ. Sed ſi quis conceſſa illa propoſitione per inductionem confirmata: Omnis cygnus eſt albus; ſolùm negaret aliquam ſequelam ex illa propoſitione probata per inductionem, & conceſſa illatam. V.g. hanc; ſi omnis cygnus eſt albus, ergò nix nõ eſt alba; Is certè ineptiſſimè & imperitiſſimè cogetur, vt aliquo exemplo diſſimili inductionem infringat; vtpotè quam ipſe nõ negat, negans ſolùmodò conſequentiã, ex illa propoſitione illatã.

Digitized by Google

Itaq; accommodando exemplum ad propoſitum: ſi noſtri Colloquu-tores negaſſent, illam propoſitionem inductione confirmatam; Omnes qui cultum & reformationem religionis inſtituerunt, ſecundū verbum Dei ſcriptum, ſunt laudati, tunc quidem iure optimo, ô Doctores non optimi, poſtulaſſetis diſſimili inſtantia ſeu contrario exemplo, inductionem infringi. Sed quādo illa propoſitio nunquam negata eſt, imò apertè conceſſa, & ſolùm negata ſequela ſeu conſequentia ex illa propoſitione illata, iam certè vos ipſi manifeſtiſſimæ & certiſſimæ imperitiæ in rebus dialecticis palàm damnatis.

Et hæc eſto veſtra tertia victoria, pro qua ſi quando inſcitia ſuis præmia decernet, vos omninò triumphali currui impoſitos, primo, abſque dubio, inter ſuos loco conſtituet: niſi fortè adhuc emendari mauultis, & à veſtro Domino Schram, qui ſcripſit vobis bonam Dialecticā, arbitrariam pœnam, pro tanta Dialecticæ imperitia, recipere, quod omninò vobis permitto, ita tamen vt hoc loco Hailbronnerus duplum luat, qui poſt illam reſponſionem toties repetitam & inculcatam, adhuc tam confidenter aſſerere auſus fuit; *Omnes intelligere ad iſtud argumentum planè nihil eſſe reſponſum*, vt ita ſaltem imperitis fucum faceret.

Porro cum Aduerſarij poſteà mutato antecedente, talem conſequentiam facerent: *Reges & Principes in veteri teſtamento laudato, ſolùm reſpexerūt ad verbum ſcriptum, Ergò ſolum verbum ſcriptum eſt norma, & quidem vnica fidei & cultuum.* Negatum eſt Antecedens, & cum propoſitionem illam negatam non poſſent probare, niſi ex eo, quod in locis allegatis non fiat mentio verbi ſcripti: Reſponſum eſt, malam eſſe hanc conſequentiam: Hoc ibi non exprimitur, Ergò repudiandum &c. Sed quia tam inſtanter petiuerant, vt probaretur, pios etiam reges reſpexiſſe in reformatione Eccleſiæ, ad verbum non ſcriptum; Etiam in hoc, eorum importunitati ſatisfactum eſt, cum tamen alioquin reſpondentis minimè ſit, ſuas reſponſiones probare, ſed argumentantis refutare. Reges igitur ac Principes pios, non ſolùm ad ſcripturā, ſed etiam ad traditiōes Maiorum, & iudicium ſacerdotum reſpexiſſe probatum eſt, tùm ex illo Deut. 17. *Interroga patrem tuū &c.* tùm ex illo Deut. 17: *ſi ambiguum &c.* Neq; reſponſum hoc vlla ratione refutare potuerunt Aduerſarij.

Ad illam poſtremam illationem, qua dicebant Aduerſarij, rectè ergò feciſſe Electores & Principes Imperij, qui ſecundum vnicam illam normam Eccleſias ſuas reformarunt, quia à noſtris conſultò prætermiſſa eſt, vt quæ à loco & inſtituto prorſus aliēa eſſet, reſpondeo, contrarium

potius

potius ex Catholicorum reſponſionibus rectiſſimè inferri: videlicet Electores illos & Principes Imperii rectiſſimè feciſſe, qui hæreticos, & inprimis eos, qui contra ipſum ſcriptum Dei verbum, ſolum ſcriptum Dei verbum, eſſe vnicam regulam omnium controuerſiarum religionis pertinaciter aſſerunt; nec tamen vllo vel in ſpeciem probabili argumento probare poſſunt, atquè interim Catholicæ Eccleſiæ authoritatem infallibilem contumaciter negant, eiuſque ſalutares ſanctiones & traditiones temerè contemerant, & violant, ſanctorumq; Patrũ vnanimem conſenſum reſpuunt; ex ſua ditione profligarunt; atq; ita cultum religionis reformarunt iuxta ſcriptum Dei verbum, Exod. 22. & Prouerb. 20. rectiſſimè feciſſe. Imitati enim ſunt iſti exemplum Theodoſij laudatiſſimi Imperatoris, qui, vt eſt apud Sozomenum, lib. 7. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap. 12. inductus conſilio Siſinnij, relictis diſputationibus cum Sectarijs, (quæ, vt Siſinnius dicebat, non niſi fomites eſſent pugnarum atquè rixarum) ita totam controuerſiam religionis finiit; *Animos*, ait Sozomenus, *Sectariorum pertentabat, quidnam ipſi de veterum interpretationibus* (non de ſolis ſcripturis) ſentirent. *Illis ea magnificè laudantibus, ipſe palam verbis expreſſis propoſuit, num illorum dictis in finiendis quaſtionibus ſtaturi ſint? Et ſatis ne locupletes doctrinæ teſtes eos eſſe iudicent?* Et quia circa hãc quæſtionem Sectarij ipſi non conſentiebant, acceptis ſingulorum libellis, quos ab eis de doctrina ſua ſingulos ſcribere iuſſerat, ſolos eos approbauit, qui conſubſtantialem Trinitatem aſſerebant; reliquos verò vt abſurdos diſrupit, & vt ait Sozomenus; *lege lata ſanxit, vt Sectarij neq; conuentus agerent, neq; doctrinam fidei profiterentur, neq; Epiſcopos aut alios ordinarent, atquè vt alij vrbibus, agriſq; expellerentur, alij notarentur infamia, & Reipublica, conſimiliter ac cæteri, participes non eſſent.*

Et certè ad nouæ legis Reges & Imperatores Catholicos quod attinet; ne vnus quidem nominari poterit, qui ſecundum ſolum ſcriptum Dei verbũ, contemptis ſacris Eccleſiæ traditionibus, ſtatutiſquè Religionem & cultum diuinum inſtituerit. *Sanximus*, ſcribit Magnus Conſtantinus, Epiſt. ad Ablauium relata, C. Theod. lib. 16. *Sicut edicti noſtri forma declarat, ſententias Epiſcoporum quolibet genere prolatas ſine aliqua ætatis diſcretione, inuiolatas ſemper incorruptaſq; ſeruari, ſcilicet vt pro ſanctis ſemper ac venerabilibus habeatur, quicquid Epiſcoporum fuerit ſententia terminatũ.* Theodoſij Magni, Gratiani, ac Valentiniani Imperatorum aurea lex eſt. C. de ſumm. Trinit. *Cunctos populos, quos Clementia noſtra regit temperamentum, in tali volumus Religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſto-*

poſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſq; nunc ab ipſo inſinuata declarat. Valētinianus & Martianus Imperatores, vt omnes ſe Chalcedonēſi Synodo conformarent, ita præcipiunt in edicto relato, act. 3. Chalced. *Ceſſet igitur iam prophana contentio, nam verè impius atq; Sacrilegus, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit.*

Iuſtinianus C. de ſum. Trinit. *Neceſſarium eſſe putauimus tam Hæreticorum vaniloquia & mendacia diſſipare, quam omnibus inſinuare, quomodo aut ſentiat Sancta Dei & Catholica & Apoſtolica Eccleſia, aut prædicent Sanctiſſimi eius Sacerdotes quos & nos ſecuti, &c.* Idem in Epiſt. ad Bonifacium Pontificem: *anathematizamus omnes qui contra ſanctam, Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam, ſuperbiendo, ſuas erigunt ceruices, ſequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem, & prædicantes eius omnia conſtituta, &c.*

Magnus Carolus religioſiſſimus & ſapientiſſimus Imperator, Epi. ad Elipandum; *Sanctorum Patrum*, ſcribit, *& Catholicorum Doctorum ſacris inhæreamus ſenſibus, diſcamus quæ ſcripſerunt, credamus quæ docuerunt, & non declinemus ad dexteram, neq; ſiniſtram, &c. nec veſtræ, me paucitati in conſenſione huius nouæ aſſertionis ſocium admitto: Sed Apoſtolicæ ſedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ, & Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo, &c.* Et alibi apud Gratianum d. 19. *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam, Romanam, & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſtica magiſtra rationis.*

Ludouicus Galliæ Rex, pietate in Deum vitæquè ſanctitate ſpectatiſſimus, in documentis quæ moriturus Philippo filio reliquit: *Sis deuotus*, monet, *& obediens matri noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & ſummo Pontifici tanquam Patri Spirituali.*

Omitto alia; Iouiniani Imperatoris addo exemplum, qui Eccleſiam Iuliani Apoſtaſiâ afflictam reformaturus inter cætera ſanxit; *Si quis, non dicam rapere, ſed attentare tantùm iungendi cauſa matrimonii, ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali ſententia feriatur.* Poſt quem & Iuſtinianus C. de Epiſcopis & Clericis: *raptores virginum vel viduarum, vel diaconiſſarum, quæ Deo fuerint dedicatæ, peſſima crimina peccantes, capitis ſupplicio plectendos eſſe decernimus, quod non ſolum, ad iniuriam hominum, ſed & ad ipſius omnipotentis Dei irreuerentiam committitur.*

Aduertite quanto fuerit dignandus honore Lutherus, ſimileſque Eccleſiarum reformatores, ex veterum Imperatorum voluntate, qui non alios quàm carnifices incœſtis eiuſmodi nuptiis Paranymphos ſubmittunt.

Quod

Digitized by Google

Quòd ſi veteris etiam ſcripturæ exempla requiramus, inueniemus non pauca, religionis ac cultus abſque vllo ſcripturæ mandato legitimè inſtituti. vbi enim ſcriptum acceperat Dauid, vt conſtitueret, ſtata lege, cantores *in organis muſicorum, nablis videlicet, & Lyris, & Cymbalis, vt reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ, & coram arca Domini recordarentur operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominum Deum Iſrael.* 1. Paralip. 15. & 16. vbi iſcriptũ legerãt Dauid ac Salomon, vt templũ Domino ædificandũ curarent, & variis quoq; imaginibus ac ſtatuis exornandum. 1. Paralip. 17 &c. & Paralip. 4. Vbi Ezechias ſcriptum legerat, ob hanc etiam cauſam, *quòd Sacerdotes, qui poſſent ſufficere* Phaſe celebrando, *ſanctificati non eſſent,* licitè menſe ſecundo celebrari poſſe Phaſe, vt tamen *inito conſilio Regis. & Principum & vniuerſi cœtus Hieruſalem* decretum fuerat. 2. Paralip. 30. Certè Num. 9. nihil hac de re ſtatuitur. Vbi illud? quod ibidem etiam factum eſſe teſtatur ſcriptura his verbis: *Placuitq; vniuerſæ multitudini, vt celebrarent etiam alios dies ſeptem, quod & fecerunt cum ingenti gaudio.* Vbi Ioſias ſcriptum legerat; vt tam ſplendidum ipſe Phaſe celebraret, de quo ſcriptura dicit 2. Paralip. 35. *Non fuit Phaſe ſimile huic in Iſraël à diebus Samuelis Prophetæ: Sed nec quiſquam de cunctis Regibus Iſraël fecit Phaſe ſicut Ioſias, &c.* vbi Eſter & Mardochæus præceptũ legerant, vt ſcripta epiſtola omnibus Iudæis præciperent, *vt omni ſtudio dies iſta (Phurim) ſolennis ſanciretur in poſterum,* atquè adeo nouam feſtiuitatem in honorem vtiquè Dei inſtituerent. Eſth. 9. Vbi ſcriptum legerant Machabæi vt in memoriam expiationis templi, nouum rurſus feſtum Encoeniorum inſtituerent. Et tamen certè vt ſcriptura teſtatur, 1. Machab. 4. *Statuit Iudas & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia Iſraël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum, per dies octo, &c.* Quam feſtiuitatem Chriſtus non ſolum nunquam reprehendit, ſed etiam ſua præſentia exornauit. Ioann. 10. Sed quid plura? certè negare nullam Religionis reformationem ſiue conſtitutionem, niſi in ſcripturis expreſſam Deo placuiſſe, vaniſſimum eſſe, ſatis ex dictis patet. Atq; hæc ad illam conſequentiam.

CAPVT SEPTIMVM.

DE ARGVMENTO TERTIO *Aduerſariorum & Reſponſionibus Catholicorum.*

Argumentum aduerſæ partis tertium ex ſeſſione quarta, tale erat. *Qui reprehendit & punit eos omnes, qui à ſcripto Dei verbo quacunq; intentione recedunt, & vel ad dextram, vel ad ſiniſtram deflectunt, is hoc ipſo facto perſpicuè teſtatur, ſcriptum verbum debere eſſe vnicam normam, ad quam cultus omnis conformari debeat: Deus in veteri Teſtamento reprehendit & punit eos omnes, qui à ſcripto ſuo verbo quacunq; intentiõ receſſerunt, & vel ad ſiniſtram, vel ad dextram deflexerunt: Ergò hoc facto toties iterato perſpicuè teſtatus eſt, ſcriptum verbum eſſe debere vnicam normam religionis & cultuum. Maior* inquit Aduerſarius, *probatione non indiget, vt opinamur:* minor verò ſeptem aut pluribus Scripturæ exemplis probata eſt firmiſſimè. Quid ergò deerat, niſi vt Catholici, tam firmo argumento, ſe victos faterentur; Aduerſarii triumpharent?

Planè ſic futurum erat, ſi Aduerſariis ex voto & concepta ſpe res ſucceſſiſſet. Sed quid accidit? Infœlices iſti ac imperiti milites eam argumenti ſui partem, quæ per ſe, & quaſi natura ſua erat munitiſſima, nec vlli hoſti peruia, operoſiſſimè multis probationum & ſcripturæ locorũ vallis atquè aggeribus, inani prorſus & ſuperuacaneo labore, roborandam ſumpſerunt, alteram verò, quæ velut arenæ ſuperædificata, etiam leuiſſimo quouis vento deijci & diſijci poterat, nudam & ab omni præſidio probationis deſtitutam hoſtibus exhibuerunt, hoc ſolo contenti, quod affirmarent eam, vtpote per ſe claram & manifeſtam, probationẽ non indigere.

Quid igitur? præter omnem eorum opinionem & expectationẽ, negata eſt illis propoſitio maior, vtpote falſiſſima; non minor quæ per ſe clara erat, & nulla penitus indigebat probatione; nec à quoquam erat negata, nec vnquam neganda. ſed quid tùm? ideò ne penitus arma proiecerunt? nunquid fortè propoſitionem, quam vt per ſe claram probationẽ non indigere dixerant infœlices, non continuò euidentiſſimis rationibus, æterno Catholicorum dedecore, demonſtrarunt? Verùm quid agerent miſeri? Ad minoris ſolùm, non autem maioris probationem parati

Digitized by Google

aduenerant. *Putabam,* dicebat infœlix Hailbronner, *maiorem non negatum iri, cum illa clara ſit, & manifeſta.* Et cum amplius quàm horæ ſpatium interceſſiſſet, & Aduerſarij interim perpetuò vrgerentur ad probationem illius negatæ propoſitionis afferendam, ſimili fermè lamentatione eandem hanc lugubrem næniam cecinit Hunnius: *Præter expectationem noſtram,* inquit, *poſtularunt Aduerſarij probari ſibi non minorem, ſed maiorem propoſiti ſyllogiſmi.* Mirum certè, ſi non pepercerunt noſtri tam deploratæ infœlicitati.

Sed quis eis in hac ſua calamitate condoleret, qui tam improuidè rem ſam curarant, & temerè prorſus tanto ſe malo ſpontè expoſuerant? tam ne ſtupidi erant, vt ſibi perſuadere poſſent negatum iri propoſitionem tam claram; & conceſſum iri propoſitionem tam falſam? Erant duæ iſtæ propoſitiones, de quibus agebatur. Prior iſta. *Qui puniuit eos omnes, qui quacunq; intentione à ſcripto Dei verbo diſcedunt, hoc eſt, legem Dei ſcriptam tranſgrediuntur, is perſpicuè demonſtrat, legem ſcriptam eſſe vnicam normam* &c. Altera hæc. *Deus puniuit omnes, qui quacunq; intentione à ſcripto Dei verbo receſſerunt,* hoc eſt, ſcriptum DEI verbum, non obediendo, tranſgreſſi ſunt. Prior falſiſſima erat, quam vel pueri Lutheranorum viderent à catholicis negatum iri: poſterior clariſſima, quã vel pueri Catholicorum nunquam eſſe negandam proſpicerent. Et tamen boni illi viri de poſterioris confirmatione tam operoſè ſolliciti erant; de prioris autem probatione nec cogitauerant quidem.

Itaq; nudi prorſus & inermes inter hoſtes conſtituti, nihil niſi fugam meditabantur, omnia diuerticula quærendo, vt honeſtè ab hoc argumento ad aliud tranſirent. Sed inſtabant noſtri, vt pedẽ figerent, propoſitionem negatam, omiſſis diuerticulis, probarent, vt qui palàm ſuccumbere verebantur, ſaltem abſq; pudore non fugerent. Nec tamen præter inanem ferè repetitionem eiuſdem propoſitionis, aliud impetrarunt noſtri; niſi quod in eius vanæ propoſitionis probatione quædam longè vaniora, ſed obiter & quaſi palpitante corde dixerunt, quæ mox commemorabo.

Primum, *aliàs* dicebat miſer Hailbronner, *pœnæ diuinitus inflictæ, fuiſſent fruſtraneæ.* Secundum, *pœnarum illarum cauſa fuit receſſio à mandatis diuinis.* Tertium, *aliàs pœnæ fuiſſent iniuſtæ:* Ergo Deus, inferendo eiuſmodi pœnas tranſgreſſoribus legis ſcriptæ, perſpicuè oſtendere voluit, verbum ſcriptum eſſe vnicam normam. At quis vanitatem huius conſequentiæ non videat? Sed procedamus ad quartum. *Pœnæ illæ fuerunt*

propter tranſgreſſionem ſuſcepta; tranſgreſſio reſpicit ad aliquod mandatũ, Ergò in hoc negotio pœna tranſgreſſionis reſpicit mandatum Diuinum. Quæ tota argumentatio conceſſa eſt. Sed quid tum? Ergò verbum ſcriptum eſt vnica norma? ſed melius intuliſſet D. Doctor: Ergò Baculus ſtat in angulo.

Verùm videamus in probanda iſta propoſitione negata, quàm ſtrenuam operam ſuo collegæ præſtiterit Hunnius. Itaq; vt eſt alioquin perſpicaci ingenio, cum videret à ſe propoſitionem illam probari non poſſe, alium ſyllogiſmum pro priore illo conabatur obtrudere; ſed mox prohibitus eſt, & compulſus, vt vel ipſe prius probaret miſerabilem propoſitionem initio propoſitam, vel probandam relinqueret collegæ.

At verò, cum id iam neuter præſtare poſſet, noſtri propoſitionem illam vaniſſimam non tantùm negarunt, ſed clariſſimo exemplo vanitatem eius conſequentiæ redarguerunt, adducto quarto, aut etiam primo præcepto Decalogi. De quo ſanè ineptiſſimè argumentaretur, quiſquis ſic argumentaretur: Si Deus puniuit omnes tranſgreſſores quarti præcepti, tunc hoc ipſo perſpicuè oſtendit præceptum illud eſſe ſolam & vnicam normam religionis & morum. Vaniſſima eſt hæc conſequentia, non minus quàm ſi etiam de primo præcepto Decalogi quis diceret: Si Deus puniuit omnes violatores primi præcepti, tunc hoc ipſo perſpicuè oſtendit, illud eſſe vnicam normam cultus & religionis.

Hoc facto, mox Aduerſarij collato ſtudio, quaſi bonam occaſionem tergiuerſandi & effugiendi onus probandæ illius propoſitionis nacti, in allatum illud exemplum impreſſionem facere cœperunt; & diuerſitatem inter hæc præcepta, & integrum ſyſtema ſcripturæ oſtendere: quòd videlicet illa præcepta non omnia contineant præcepta, ſcriptura verò omnia, quæ ad cultum ſpectant contineat, vtpote cui nihil addi vel detrahi poſſit, Deuter. 4. 5. & 12.

Sed reſponſum eſt, ea loca Deuteronomij eſſe quidem ſeparatum ac diſtinctum aliquod argumentum ad probandam illam concluſionem ſeu theſin principalem, quod videlicet ſcriptura ſit vnica norma omnium controuerſiarum fidei & religionis, ad quod iam ſuprà reſponſum fuerit: ſed ad probandam illam negatam propoſitionem nihil prorſus facere: vaniſſimam enim eſſe conſequentiam: Deus in Deuter. cauit, ne quicquam adderetur, vel detraheretur verbo ſcripto; Ergo ſi Deus puniuit omnes tranſgreſſores verbi ſcripti, perſpicuè ſignificauit, quòd verbum ſcriptum ſit vnica norma fidei & religionis. Hanc, inquam, conſequentiam eſſe vaniſſimam.

Et cum

Digitized by Google

Et cum inſtarent; attamen aſſignatum à ſe diſcrimen ratum eſſe. reſponſum eſt, eam eſſe meram petitionem principij, hoc ipſum enim probandum eſſe, quod ſcriptura contineat omnia dogmata fidei & cultus, atque adeò ſit vnica norma &c. & tam parum probari poſſe quod ſcriptura omnia omninò quæ ad fidem & cultum Chriſtianum pertinent, contineat, quàm parùm probari poteſt, quod quartum præceptum contineat omnia reliqua præcepta.

Ad hæc, obiectum eſt ab Aduerſarijs & hoc argumentum: *Si Deus puniendo omnes tranſgreſſores quarti præcepti Decalogi demonſtrauit præceptum illud eſſe vnicam normam omnium officiorum, quæ parentibus ſunt exhibenda, tunc quoq́ puniendo tranſgreſſores omnes legis ſcriptæ, ſignificauit eam eſſe vnicam normam omnium dogmatum religionis: ſed verum eſt antecedens: Ergò & conſequens.* Ad hoc argumentum, quicquid ſit de minore, negata eſt maior propoſitio, & ratio aperta negationis data, quia omnia ſcilicet officia parentibus exhibenda præcipiuntur, atque eatenus continentur quarto illo præcepto, quatenus citra aliquam aliam traditionem non ſcriptam ex eo præcepto, ſolo naturali lumine rationis deducuntur: at non omnia dogmata religionis comprehenduntur in lege ſcripta, ita vt vel in ea expreſsè extent, vel ex ea, ſecluſa traditione, & infallibili aliqua authoritate Eccleſiæ, deducantur.

Et ita cum per duas ferè horas vrgerentur Aduerſarij, ad illius propoſitionis ſequelam probandam; vt omnibus manifeſtum fieret, ab Aduerſarijs eam nulla ratione probari poſſe; tandem apertè Aduerſarij fuga inita, & propoſitione illa vaniſſima vento credita, ad alia ſe argumenta, quibus theſin ſuam principalem probarent, contulerunt. Quamobrem etiam illis gratulati ſunt noſtri, quod tantum luminis concepiſſent, vt aduerterent tandem, ſuam illam propoſitionem, vel potius, maioris propoſitæ ſequelam vanam eſſe & inanem, nec à ſe vnquam probandam. Et quia de victoria iam gratulari illis non poſſum, de hoc ipſo ſaltem lumine, quo ſuam illam probationem falſam fuiſſe, eiuſque ſe probationi ſuccubiſſe perſpexerunt; rurſus illis ex animo gratulor, Deumque precor, vt hoc lumen in eis quotidie augeat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT OCTAVVM.

DE APPENDICE QVADAM argumenti tertij Aduerſariorum, & reſponſionibus Catholicorum.

ILLIVS igitur argumenti fiduciâ Aduerſarij miſerabiliter decepti, quò ſe proripuerunt miſeri, vt ſuum illum pudorem nõnihil contegerent, doloremq́; lenirent? Et quorſum in tam inopinata neceſſitate ſe miſeri conuerterẽt, quàm ad ſuum illud conſuetum κρησφύγετον, ex locis Deuter. 4. 5. & 12. contextum? quamuis enim hoc ipſum argumentum iam ſuperius argum. 1. Seſſ. 1. ab Aduerſarijs obiectum, & à noſtris fuerit ſolidis reſponſionibus refutatum; ideoq́; etiam hic noſtri retexendum non eſſe, dicerent; cum præſertim Aduerſarij noui nihil adferrent: quia tamen non videbatur addenda afflictio afflictis; & ipſi alioquin partim ex dolore, partim ex deſperatione impudenter & inſolenter clamitare non ceſſabant: *nihil vnquam ſolidè fuiſſe reſponſum, nec in æternum reſponderi quicquam ſolidè poſſe*; Ideo ad hanc eorum inſolentiam reprimẽdam, eos, quò vocabant, ſecuti ſumus. Quo tempore idipſum in hoc Colloquio accidit, quod in colloquio cum Donatiſtis ſe præſente habito, accidiſſe refert Auguſtinus in Breuiculo Collat. diei tertiæ, cap. 7. *aliquantò*, inquit, *diutius conflixerunt, Donatiſtis eadem repetentibus, & Catholicis eadem reſpondentibus*. & cap. 10. *cum hæc iam dicta fuiſſent, & quæſtio ipſa terminata videretur, ad eam rurſus ſumma inopia redierunt* (Donatiſtæ) *eadem per eadem repetentes.*

Cum igitur vrgerent denuò illa loca Deuter. 4. 5. & 12. vbi disertè vt aiebant, Deus prohibet quicquam addere; Et hoc tantùm facere jubet, quod ipſe præcepit: Reſponſum eſt denuò. Deum ſolummodo prohibere additiones contrarias verbo ſcripto, quales ſunt, quæ aut à priuatis circa cultum & fidem excogitantur, aut etiam à magiſtratibus contra legem ſcriptam fiunt. Quæ explicatio luculenter rurſus confirmata eſt ex eo. Quia ſi omnis omninò additio, etiam legitima alioquin authoritate facta, prohibita eſſet, tunc ſanè à peccato excuſari non poſſent, Ioſue, Prophetæ, Apoſtoli, & Euangeliſtæ, qui multa diuina authoritate addiderunt Deuteronomio, atq; etiam ipſi Pentateucho, de quo in illis

locis

Digitized by Google

locis ſermonē eſſe ipſimet Aduerſarij fatebantur, &c. Et quamuis ſimul dicerent nihil in veteri Teſtamento fuiſſe denuò adiectum Pentateucho quoad dogmata & cultus, tamen id ſaltem negare non potuerunt, multa in nouo Teſtamento denuò fuiſſe addita antiquæ legi, multa etiam abrogata, quod ad inſtantiam ſufficiebat. Hoc ipſo enim fateri debet, illa loca prorſus eſſe impertinentia ad probandum, quod in nouo Teſtamento nihil ſit addendum, nihil detrahendum illi verbo ſcripto, de quo Deus, ipſorum quoq; Aduerſariorum ſententia, illic loquebatur.

Quia verò peculiariter vrgebant Aduerſarii circa locum, Deut. 12. *Hoc tantum facito Domino Deo tuo, quòd ego præcipio tibi*, illam particulam, *Tantùm*. (quæ tamen alioquin nec in textu Hebræo; nec in græco extat) apertius & oſtenſum, & euictum eſt, ex illa voce, nihil prorſus contra ſententiam Catholicorum concludi poſſe; præmiſſis duabus notationibus, quas ipſe textus apertè ſubminiſtrat. Prima, quòd Deus illic ſpecialiter ſermonem non dirigat ad ipſos Magiſtratus populi, ſed generatim ad vniuerſum populum Iſrael, vt patet ex totius capitis contextu; nec vllo modo potuit refutari; tametſi operosè oſtenſum fuerit, magiſtratus quoquè alioquin generatim fuiſſe ſcriptæ legi ſubiectos, quod nemo vnquam negauerat.

Secunda, quod illic Deus diſertè loquatur de præceptis, quæ eo, & præcedentibus capitibus, & vt ſummum aliis præcedentibus etiam libris commemorauerat, id quod ex contextu quoque ipſo manifeſtum eſt, licet in contrarium ineptè obiectus fuerit verſus vigeſimus octauus eiuſdem capitis, vbi dicitur, *obſerua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi*, tanquam ſi illic de omnibus omninò præceptis diuinis ſit mentio. Nam ad hoc ſimiliter reſponſum eſt, quòd ibi Deus etiam loquatur ſolùm de præceptis, quæ tunc tradebat; cum ſignanter dixerit, *quæ ego* (iam ſcilicet) *præcipio tibi*. Neque verò inde colligi poteſt, ſecuturum ex dictis eſſe, quòd fas ſit alia præcepta poſtea data prætermittere, vt ineptiſſimè vrgebat Hunnius. Ad hoc enim reſponſum eſt, tametſi ex hoc præciſe loco colligi non poſſit, quòd alia quoque præcepta poſterius tradita ſint ſeruanda; id tamen ex aliis locis abundè colligi, ex iis ſcilicet ipſis, in quibus illa poſteà, tanquam diuina præcepta proponuntur.

His ergò duabus notationibus certiſſimis præmiſſis, clariſſimè ſic oſtenſum eſt, ea loca prorſus ad Eccleſiaſticas traditiones & conſtitutiones conuellendas nihil facere. Nam aut ſenſus locorum illorum eſt, quod nihil penitus ſit faciendum præter id verbum ſcriptum, de quo ibi

Digitized by Google

Deus loquitur:aut non eſt ille ſenſus. Primum dici non poteſt,vt maniſeſtè patet ex ſecunda ſuppoſitione, quia aliâs ſequeretur, quod non ſolùm Chriſtiani,ſed etiam Iudæi licitè potuiſſent prætermittere ea omnia,quæ poſt illud caput 12. Deuteronomij à Deo præcepta ſunt, quod niſi inſanus,nemo dixerit. Si autem non eſt ille ſenſus;Ergò non obſtante illo loco,licebit & oportebit quoq; alia, quæ poſterius diuina authoritate conſtituta ſunt facere,atque adeò etiam ab Eccleſia tradita & decreta obſeruare,cum & hæc quoque diuina authoritate nitantur, iuxta illud,Matth. *18. Si Eccleſiam non audierit, &c.*Luc.10,*qui vos audit,me audit,&c.*Et conſequenter ſenſus planiſſimus & pleniſſimus illius loci erit ſolummodò iſte,vt populus Iſrael nihil prætermittat ex diuinis mandatis,ſed exactè omnia ſeruet, quouſquè alia dennò diuina authoritate tradantur; nec circa fidem & cultum quicquam ipſe priuata authoritate confingat,&c. qui ſenſus, vt patet,traditionibus Eccleſiaſticis, non magis obſtat, vtpote diuina quoque authoritate nixis, quâm alijs præceptis à Deo per Moyſen traditis.

Neque contra has reſponſiones ad illa Deuter. loca datas aliud niſi inaniſſimas nugas, & vaniſſimas iactationes proferre potuerunt Aduerſarij:In quibus illa inſignis, qua Hailbronnerus in quinta Seſſione inſolentiſſimè iactare auſus eſt, me, quod in priore Seſſione ad quaſdam ſuas eiuſmodi friuolas obiectiones non reſpondiſſem, eius argumentis, quaſi verò vſque adeò firmis *conſtrictum teneri, & cum heri reſpondere non potuerim,hodiè conatum eſſe aliquid dicere*, quod etiam antea quoque priuatim ab Aduerſariis iactitatum fuiſſe intellexi, cum tamen omnes norint,& ipſum Protocollum teſtetur, me in priore Seſſione ad finem vſquè ſeſſionis locutum, & temporis ſolùm anguſtia impeditum fuiſſe, quò minus omnes eiuſmodi nugas exufflarem. Quam ipſi confidentem audaciam&impudentiam in Colloquio exprobraui quidem,ſed ſimul etiam condonaui. Itaq; nihil idcirco in eum grauius ſtatuo; hoc ſolùm aduertant omnes;ſi Prædicantes iſti tam impudenter in ipſo Colloquio, vbi ſtatim de falſitate palam coargui poterant, à vaniſſimis eiuſmodi iactationibus non abſtinuerunt, quid non faciant inter eos qui Colloquio non adfuerunt?

Quodcirca cum allatas Catholicorum reſponſiones ad illa,Deuter. loca nulla ratione refellere potuiſſent Aduerſarii, licet à quarta vſque ad octauã omnino ſeſſionem, in ijs oppugnandis cõtinuò quaſi deſudarint:Ideo in octaua etiam ſeſſione à noſtris concluſum eſt. *Ex omnibus*

hactenus

hactenus vltrò citroq́; prolatis circa illa loca Deut.4. 5. 12. cuiuis prudenti facile conſtare poſſe, explicationem eiuſmodi locorum à Catholicis datam nulla ratione refelli potuiſſe: Vt interim taceantur aliæ duæ non minus alioqui firmæ ac ſolidæ reſponſiones, quæ ad illa loca adferri poſſunt: quæ tamen etiam tunc breuiter & obiter, vt eò luculentius vanitas illius tàm crebro inculcatæ argumentationis pateſceret, his verbis allatæ ſunt.

Primò enim dato, non conceſſo, quod Deus ibi loquatur de omnibus omninò præceptis, non tamen id eſſet reſtringendum ad præcepta duntaxat ſcripta: cùm nunquam dicat Deus: nihil addes ad ea quæ ſcripſi, ſed quæ dixi & loquor vobis, & quæ præcipio vobis, &c. Quod etiam ex hebræa voce patet, quæ eſt מִצְוָה. *Nec vlla ratione probari poteſt, quod omnia omninò præcepta tàm fidei quàm morum veteris Teſtamenti ſint ſcripta.*

*Secundò dato nō conceſſo, quod omnia omnino legis veteris præcepta ſcripta eſſent, & quod ad ea tantùm obſeruanda Iſraelitas Deus aſtringere voluerit, nihil tamen hoc ad nouam legem, & Chriſtianos nouæ legi ſubiectos pertinere poteſt: cùm etiamſi per impoſſibile probēt, aut probauerint, quod omnia omnino legis veteris præcepta ſcripta fuerint, de nouæ tamen legis præceptis, id probare nequaquam poſſint. Et diuerſa ratio eſt veteris & noui Teſtamenti. Tùm, quia conſtat ea, quæ ad cultum & cæremonias ſpectant longè prolixius & ſpecialius (*in veteri teſtamento*) per plurimas leges, Exod. Leuit. Deuterono. fuiſſe determinata, quàm in nouo Teſtamento. Deinde quia Synagoga particularis tantùm quædam Eccleſia erat, eaq́; non ita amplis circumſcripta terminis, cui proinde facile leges etiam particulares ab ipſo Deo immediatè determinari & præſcribi potuerunt: cùm Eccleſia Chriſtiana vniuerſalis ſit, nec vllis locorum terminis circumſcribatur, quæ etiam pro diuerſitate temporis diuerſas etiam leges circa cultum & cæremonias requirat.* Hæc ad verbum in citata ſeſs.8. dicta fuerunt. Et tantū abeſt, vt has duas reſponſiones expugnarint Aduerſarii, vt nec impugnarint quidem.

Tria adhuc argumenta, in eodem conflictu obiecta, reſtant. Primum; *Si non omnes cultus, nec omnes articuli fidei in lege ſcripta eſſent comprehenſi, tunc puniti fuiſſent aliqui propter tranſgreſsionem legis non ſcriptæ: ſed conſequens eſt falſum: Ergò; &c.* Reſponſum eſt minorem eſſe falſam, quod clariſſimè demonſtratum. Primò enim ante legem Moyſis per bis mille annos nulla lex ſcripta erat, & tamen homines ſæpè puniti fuerunt. Secundò, tempore legis ſcriptæ per bis mille circiter annos fuerunt multi extra Synagogam, qui cùm legem ſcriptam non haberent, propter tranſgreſſionem vtique legis non ſcriptæ puniti fuerunt. Tertiò, Deuteronom. 17. mori iubebatur, qui imperio Sacerdotis obedire

Digitized by Google

detrectaſſet: vbi minimè additur illa limitatio, ſi quid in ſcripturis expreſſum decreuiſſent. Quartò, ex multis particularibus exemplis eius rei, prolatum eſt illud Prophetæ, 3. Reg. 13. qui à Leone peremptus dictam tantùm, non ſcriptam Dei legem violauerat: Item Rechabitarum Hier. 35.

Secundum argumentum eiuſmodi erat. *Detractiones omnes ſimpliciter prohibitæ ſunt in illis Deuteronomij locis: Ergò etiam additiones.* Sed oſtenſum eſt, non magis detractiones fuiſſe prohibitas, quàm additiones. Sicut enim illæ duntaxat additiones prohibitæ fuerunt, quæ aut contra verbum Dei, aut ſine legitima authoritate fiebant, ita quoque detractiones illæ ſolummodò prohibitæ ſunt, quæ ſimiliter contra verbum Dei, aut abſque legitima authoritate fierent, cum cõſtet, multa ſucceſſu temporis, imò omnes veteris Teſtamenti leges fuiſſe abrogatas.

Tertium argumentum. *Si ſcriptura non continet omnia dogmata fidei & cultus, tunc erit imperfecta, ſed non eſt imperfecta, Ergò* &c. Reſponſum eſt, non ideo poſſe aut debere vocari imperfectam: Cum imperfectum ſolum dicatur illud, cui debita aliqua deeſt perfectio: non enim vocamus hominem imperfectum, quod cornua, quod alas non habet, &c. Iam verò ſcripturæ debitam hanc perfectionem eſſe, vt omnia omninò quæ ad fidem & cultum ſpectant, contineat, Aduerſarii nullo argumento probarunt, nec probare potuerunt, quamuis hoc ipſum eis ex inſtituto probandum incumberet. Neque Reſponſiones iſtæ vlla vel in ſpeciem probabili ratione potuerunt refutari. In quo, ne longus ſim, ad Protocollum me propenſſimè refero; allegatas tamen ab Aduerſariis noui Teſtamenti ſcripturas infrà ſuo loco relaturus. Sed iam videamus, qualem egregij iſti milites, ex ſuis illis Deuteronomij locis toties obiectis & recoctis, in quibus aut vniuerſum, aut ſaltem principale ſuæ opinionis contra Eccleſiaſticas traditiones fundamentum eſſe conſtitutum aliquoties ſignificabant, triumphum & quàm honorificum reportarint.

CAPVT NONVM.

DE TVRPISSIMA IGNOMINIÆ *nota, quam ſibimet inuſſerunt Aduerſarii, dum à Catholicis ad honeſtiſſimum certamen æquiſsimis conditionibus prouocati, manus cum eis conſerere auſi non ſunt.*

Cum

Digitized by Google

CVm igitur non ſolùm in prima Seſſione, ſed etiam in quarta, quinta, & ſexta prolixiſſimè diſceptatum fuiſſet, de ſenſu illorum locorum ſcripturæ, Deuter. 4. 5. & 12. quæ Aduerſarij principale ſuum fundamentum contra traditiones Eccleſiaſticas eſſe aliquoties jactitarant, & verò etiam per ſummam inſolentiam argumentum illud ſuum ex eiuſmodi locis contextum, in æternum non ſolui poſſe aliquoties vaniſſimè proclamaſſent, id iam catholicis Collocutoribus reliquum erat, vt hanc eorum vaniſſimam iactantiam efficaciore aliquo medio reprimendam & penitus contundendam ſumerent: id quod opportunè ſic accidit.

Ab initio ſtatim diſputationis erant Aduerſarij in eo toti vt ſuis commentis, quæ ex propoſita ſibi charta plerumque prælegebant, Protocollum infarcirent, atque adeò eum diſputandi modum inirent, qui àd protrahendum tempus & inaniter declamitandum, quàm ad eruendam veritatem erat aptior. Itaq; tractim & pedetentim ad calamum dictarunt omnia, cum hoc interim non ſolùm in legibus, ſeu conditionibus diſputãdi nunquam fuiſſet expreſſum, ſed ne poſtulatum quidem ab Aduerſarijs, quamuis Notarij, vtrinq; eſſent deſignati, qui nimirum, vt alioquin fieri ſolet, & Catholici intellexerant, ſenſum & ſummam rerum in Colloquio actarum conſcriberent. Et quamuis noſtri hanc dictitandi moram vt moleſtiſſimam, & parùm conuenientem ad veritatis inquiſitionem non modo iam ſæpius eſſent deprecati, (quod etiam, approbante deinde Cæſareo Decreto, prudentiſſimè video factitatũ à Catholicis Collocutoribus in diſputatione Ratiſbonenſi, Anni 1546.) ſed etiam per tres priores Seſſiones, Catholicis Collocutoribus nihil minus curæ fuiſſet, quàm vt ſua ad calamum dictarent, de quo etiam palàm in ipſo Colloquio proteſtati ſunt, ipſiq; Notarij in ſubſcriptione Protocolli teſtati: attamen cum Aduerſarij ab hoc modo, licet moleſtiſſimo, nulla ratione abduci poſſent, vtpote quod ſua iam dudum anteà in charta parata haberent, noſtris quoq;, etſi præter expectationem, neceſſariò curandum fuit, vt ſua etiam ipſi reſponſa ad calamum dictarent; vt ſaltem, vel hac ratione, diſcerent Aduerſarij, noſtros non modò Protocollum minimè refugere, vt impudentiſſimè aliquoties calumniabantur, ſed etiam poſſe, ſi opus ſit, non minus quàm ipſi, ſua, quæ vellent, ad calamum dictare, & vt tandem hoc modo vtrinq; ſeruato, vel ipſo experimento diſcerent omnes, modum hunc ad veritatem in lucem eruendam minus eſſe accommodatum.

Digitized by Google

Itaq; cum per tres, vt dixi, Seſſiones, eo modo diſputandi ſeruato, multa vtrinque de ſententia illorum locorum Deuteronomij, ad calamum fuiſſent dictata, maximo non ſolùm Auditorum omnium, ſed ipſorum etiam Principum tædio, qui ſatis iam animaduertebant, hunc modum diſputandi ad ſcopum eruendæ veritatis minimè collimare, idcircò certiſſimæ veritatis, & inprimis diuinæ bonitatis fiducia fretus, prouocaui Aduerſarios ad extraordinarium certamen, vt, quandoquidem ſcilicet ſatis multa de eiuſmodi locorum Deuteronomij ſenſu hactenus fuiſſent ad calamum dictata, iam nunc prætermiſſa ſcriptitatione, palàm & quaſi comminus mecum manus conſererent, & conferrent de vero & germano ſenſu eiuſmodi locorum ſcripturæ: paratum me deinde fore dicebam, etiam dictando rurſus ad ea, quæ ſupereſſent, reſpondere.

Vexabat hæc res Aduerſarios mirum in modum, & licet inter ſe muſſitarent ſatis diu, ac conſultarent, quidnam facto opus eſſet, vix tamen quidnam potiſſimum conſilij capiendum eſſet, inuenerunt; cum ſi certamen propoſitum admitterent, ſe vincendos vtique aduerterent, ſi verò abnuerent, etiam victis abiectiores. In eam tamen ſententiam iuerunt, melius eſſe tergum hoſti vertere, quàm fixo pede ſuccumbere, Sic ergò palàm pronunciauit Hunnius, ſe omninò paratum eſſe ad conſerendas mecum manus, ita tamen, vt ad calamum ea quæ proponam, dictem; aliter integrum ſibi nō eſſe mecum contendere: quod tantundem eſt, ac ſi diſertè oblatum certamen recuſaſſet.

Quia verò ſeriò ſtudebam veritati magis in lucem proferendæ, falſitati autem penitus proculcandæ, idcirco hac recuſatione non motus, altera etiam vice, & quidem efficacius eandem prouocationem repetij, quæ his verbis, ne quicquam addere videar, in Protocollum relata eſt: *Quia intelligunt omnes, non poſſe iſta ratione ad veritatis inquiſitionem perueniri, facilè apparet, Excellentiam veſtram* (hac enim honorifica appellatione vſus ſum, vt annoſam vulpem è latebris elicerem) *ſubterfugere cognitionem veritatis, & obteſtor te per judicium Dei, vt acquieſcas.* Sed imbelli animæ fruſtrà ſonat buccina: nec aliud elicui quicquam, quàm quod Hunnius, totius Imperij oculos in hunc actum eſſe conuerſos, diceret, atque ideò conſtitutum ſibi minimè eſſe, mecum diſputare, niſi reſponſiones ad calamum dictentur, vt ex Protocollo videre eſt. Cum autem Hunnius etiam hanc ſuo pudori excuſationem prætexeret, quòd ego deinde, niſi omnia ad calamum dicta-

rentur,

Digitized by Google

rentur, quod liberet, eſſem dicturus,diſſimulata etiam contumelia, cuius me tacitè inſimulauerat, diſertis ei verbis reſpondi, tantùm vt hominem amicè delinitum,ad deſtinatum certaminis campum educerem: Ecce Domine Doctor, quàm ingenuè & liberaliter tecum agere velim: Ego quantum in me eſt, facio tibi liberrimam poteſtatem, vt de noſtro hoc congreſſu dicas, quicquid lubet: Ego viciſſim polliceor, nihil me dicturum, niſi quod veritati conſonum eſt, atque adeò totius Auditorij teſtificatione fieri poteſt comprobatum; cuius rei teſtes inuoco eos, qui Colloquio præſentes tunc interfuerunt, & rem geſtam notarunt, quandoquidem poſterius hoc à Notarijs, quòd ad calamum hæc dictata non eſſent, in Protocollum non fuit relatum. Verùm ne ſic quidem è latebris elici potuit egregius Hunnius. Et tamen vaniſſimi quidam Nouellantes ſpargere non ſunt veriti,me cum Hunnio non amplius lingua, ſed ſcriptis & calamo decertare voluiſſe, cum contrarium ex dictis ſit manifeſtum, nempe quod Hunnius etiam atque etiam à me ſeriò prouocatus,vt relicta ad tempus ſcriptitatione & dictitatione conſueta, palàm & lingua; velut comminus mecum depugnaret, ad hoc adduci nulla ratione potuerit, ita profectò vt qui non videt,homines iſtos ex mera diffidentia ſuæ cauſæ, honeſtiſſimum hunc congreſſum detrectaſſe, nihil videat.

Quam enim quæſo te, mi Hunni, honeſtam excuſationem prætexere tuæ tergiuerſationi potes? an quod hic modus diſputandi nouus ſit & inuſitatus? ſed eſt in omnibus Academijs tritiſſimus, & nec tibi quidem olim incognitus. An quòd lege vlla huius colloqui proſcriptus? Sed hoc falſiſſimum eſt, cum nulla lex dictationem ad calamũ præſcripſerit, etſi maximè præſcripſiſſet aliqua,extraordinarium tamen eiuſmodi congreſſum,bonis conditionibus ineundũ,minimè impediuiſſet. An quòd modus prior diſputandi ad veritatẽ patefaciendam aptior eſſet? Sed hic non ſolùm ſemper viſus eſt omnibus Academijs, quæ in Germania, Italia, Gallia, Hiſpania, & toto terrarum orbe extant, ſed etiam à te quoque, & tuis poſteà tanquam aptior & conuenientior, voluptate Principum, receptus eſt. An quòd Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes non ſinebãt, vt prouocatus te ſiſteres? at Ser.mus nihil magis cupiebat, de Ill.mis quid affirmare poſſis, tu videris. Equidẽ nullo ſigno animaduerti Illuſtriſſimo Principi tam honeſtum certamen diſplicuiſſe. An quòd res hæc, de qua negotium erat, tanti momenti non eſſet, vt ſeu vinceres, ſeu vincereris, victor idcircò, vel victus haberi poſſes? Sed erat hoc, vt tu ipſe

ſæpius

ſæpius affirmaſti, præcipuum tuæ cauſæ præſidium, & quaſi firmiſſimum tui erroris propugnaculum. An quòd niſi omnia ad calamum dictarentur, ego facilè de te quicquid luberet, eſſem dicturus, ſeu verum, ſeu falſum? Sed inprimis tibi non minus, quàm mihi, facilè erat mentiri, vt manifeſtum eſt. Deinde vt ſumma dictorum ſcriberetur, non prohibui; ſed vt ne moroſa dictatione ad calamũ vis diſputationis eneruaretur. An quòd, vt tu dicebas, totius Imperij oculi in hunc actum eſſent intenti? Sed eò minus hoc tam honeſtum certamen, in conſpectu totius Imperij, vt tu loqueris, oblatum, detrectare debebas; ſi tuo, ſi collegarum tuorum, ſi Academiarum, in quibus, vt eximius Doctor, ſatis iam diu docueras, ſi Principum à quibus partim miſſus, partim conductus fueras, ſi deniq, ipſius cauſæ tuæ honori ſeriò conſultum eſſe volebas. Sed volebas vtiq;; ideò enim tergiuerſando fugiſti, ne victus ſuccumberes.

Sed ô te miſerum, iam ecce vel maximè victus es, ita quidem, vt omnes, tam docti, quàm indocti, tam præſentes, quàm abſentes, quotquot hoc tuum dedecus & probrum, vel ex meo ſcripto, vel ex Protocollo tam veſtro, quàm noſtro legent, vel audiẽt, te aut victum, aut victo abiectiorem pronunciaturi ſint. Cum aliâs etiamſi palam conuictus fuiſſes, non niſi docti, neq; niſi præſentes (ſi Protocollo res inſerta non fuiſſet) tuã ignominiã animaduerſiſſent. O clariſſime Domine D. quantoperè iam claritatem tuam obſcuraſti, quantoperè tuam Excellentiam depreſſiſti. Ecce vocare te ſolebam prius clariſſimum Doctorem, vocaueram Excellentiam tuam: Poſteà verò vt tam honorificè te compellarẽ, à me vix amplius impetrare potui, nec iam te aliũ ſalutare poſſum, quàm ignauiſſimum thraſoem, qui à te victos clamitas quos fugiſti, victoriam iactas, qui pugnam detrectaſti.

Sat ſcio, Hunni, ſi minimus quiſpiam noſtrûm tam amicè, tam ſeriò, tam opportunè, tam honeſtis conditionibus, in re tam graui, à te prouocatus certamen detrectaſſet; ſcio inquam, quod tu cum tuis, non iam modò clanculum victoriam iactaretis, ſed & palàm triumphos agitaretis. Neq; verò eum vobis honorem, vtpote dignis decretum inuiderem. Iam autem Victoriam clamitare eos, qui nec honeſtè quidem pugnare auſi fuerant, & eiuſmodi rumoribus mundum replere, ideò ſolùm, quia catholici, pro ſua modeſtia, dedecus veſtrum non vbiq; proclamarunt; quid aliud eſt, quàm intolerabilis inſolentia, inſolentiſſima inſania, vaniſſimum mendacium, mendaciſſimus rumor?

CA-

CAPVT DECIMVM.

DE LOCIS QVIBVSDAM NOVI Teſtamenti ab Aduerſariis obiectis, & reſponſionibus Catholicorum.

SIc igitur Aduerſarii ex illis ſuis firmiſſimis, vt aiebãt, præſidiis, iam altera vice, ſumo ſuo dedecore repulſi; & ſcripturis veteris Teſtamenti iam exuti, ad nouũ ſe Teſtamentum cõtulerunt, vt vel ex eo cauſam ſuam, ſi quo modo poſſent, fœlicius, quam ex veteri tuerentur. Quòd autem ſcirent, nihil ex eo ſolidè pro ſe adferri poſſe, ita ſparſim & confusè ea loca propoſuerunt, vt nullum nouum argumentum produxiſſe, ſed vnum ex alio funem perpetuò traxiſſe viderentur, Ego verò claritatis cauſa, dedita opera, hæc à priore argumento ſeiunxi; cum præſertim alioquin re ipſa cum præcedentibus non cohærerent, ſed ad probationem thematis principalis referrentur. At videamus iam horum argumentorum robur.

Primus locus ex nouo Teſtamento productus eſt, Matth. 28. *docentes eos ſeruare omnia, quæcunq; mãdaui vobis.* Ad quem locum vtpote obiter tantùm prolatum & noſtræ cauſæ nihil penitus repugnantem, cũ in Colloquio nihil ſit reſponſum, iam quoq; reſponſionem prætermitto. ipſe Lector iudicet; an inde conſequatur: Ergò traditiones extra ſcripturam ſunt repudiandæ, cum traditiones Eccleſiæ ipſemet Chriſtus ſeruandas præceperit, Matth. 18. Luc. 10.

Secundus locus, ad Epheſ. 2. *Ædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum,* &c. Ergò non licet Eccleſiæ noua præcepta cultus conſtituere, atque adeo ſcriptura eſt vnica norma, &c. Reſponſum eſt, hoc minimè ſequi ob duas cauſas. Primò quia illic determinatè ſermo non eſt de ſcriptura, ſed generatim de doctrina Apoſtolorum & Prophetarum ſeu ſcripta, ſeu tradita, vt ex textu patet: & ex eo quoq; oſtenſum eſt, quod tunc temporis non omnia ſcripta Apoſtolica extarent, & Eccleſia prædicatione magis, quàm ſcriptis Apoſtolorum niteretur. Secundo, quia tametſi etiam determinatè eſſet ibi ſermo de ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, minimè tamen ſequeretur, Eccleſiam niti ſola ſcriptura tanquam fundamento, cum vel ex ipſa ſcriptura, conſtet plura eſſe, quibus fundamenti Eccleſiaſtici appellatio tribui poſſit.

Tertius locus, ad Rom. *15. non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus:* quod tantundem eſt, ac ſi S. Paulus totidem verbis dixiſſet: non audeo falſo mihi tribuere aliquid, quod Chriſtus per me non eſt operatus: Ergo nullæ traditiones admittendæ. Aut, Ergò Eccleſia non debet ſibi arrogare poteſtatem noua præcepta cultus ſtatuendi, vt inferebant Aduerſarii. Sed reſponſum eſt, Aduerſarios vaniſſimè, & plane contra ſuam conſcientiam, hunc locum adduxiſſe; quaſi verò idem ſit, falſum dicere ſeu mentiri, & Eccleſiæ leges ferre. Et tamen iſtos Prædicantes & Miniſtros verbi Dei non puduit, in corona doctiſſimorum hominum, tales nugas & proferre, & defendere.

Quartus Locus, Matth. 18. Chriſtus reprehendit traditionem Phariſæorum de lotione manuum, licet in ſpecie non contrariam verbo Dei: Ergo omnes omninò traditiones ſunt prohibitæ. Reſponſum eſt primò, eam traditionem de lotione manuum non ſimpliciter & abſolutè reprehenſam fuiſſe, ſed quatenus Phariſæi propter eam, & eiuſmodi traditiones alias violabant legem diuinam, vt oſtenſum eſt ex illis verbis: *tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Secundò reſponſum eſt, quòd etiamſi traditio illa abſolutè fuiſſet reprehenſa, id tamen traditionibus Eccleſiaſticis nihil incommodaret, eò quod illa traditio merè humana eſſet, & priuata ſolùm, non publica authoritate à ſcribis ſeu Phariſæis excogitata: traditiones autem & conſtitutiones Eccleſiaſticæ, non merè humanæ ſunt, ſed potius diuinæ, iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* In cuius rei confirmationem, hoc etiam additum eſt, Scribas & Phariſæos veteris Teſtamenti, quà præcisè tales erant, non fuiſſe Magiſtratus Synagogæ Iudaicæ, ſed illos quidem ſolum Doctores & interpretes legis, qui idcircò νομικοὶ legiſperiti, non νομοθέται ſeu legiſlatores dicti ſunt; iſtos verò certis quibuſdam obſeruationibus addictos, vt etiam ex Tertulliano & Epiphanio oſtenſum eſt.

Quintus locus ad Galatas. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit:* ergo Eccleſia non habet poteſtatem noua præcepta conſtituendi, &c. Reſponſum eſt, malam eſſe hanc conſequentiam; quia particula *præter*, græcè παρ', vt ex ſubiecta materia colligitur, idem eo loco ſignificat, quod, *Contra*, vt etiam Sancti Patres interpretati ſunt, quo modo etiam accipi eandem

vocem oſtenſum eſt, Romanor. vltimo. Vbi Apoſtolus monet obſeruari eos, qui ſeminant diſſidia & ſcandala, præter doctrinam quam didicerint: vbi abſque dubio *Præter*, ſignificat idem quod, *Contra*; cum ſcandala vtiquè non ſint tantum præter, ſed etiam contra verbum Dei. Neque impugnare hanc reſponſionem potuit Aduerſarius, niſi ineptiſſimè dicendo; *Principium eſſe petitum. ſeſſ.7.*

Sextus locus ad Galat.3. vbi dicitur *Teſtamento* (etiam humano) *nihil addi poſſe*, quantò minus ergo diuino. Reſponſum eſt; hinc tantum colligi, nihil poſſe ipſi ſcripturæ inſeri, traditiones verò non ſcriptas omnes repudiãdas minimè. Nã etiam extra teſtamentũ poteſt teſtator peculiari quodam codicillo, ſeu fidei commiſſo quaſdam diſpoſitiones relinquere, quæ non minus certè executioni mandandæ ſunt, quàm ea quæ teſtamento conſtituta ſunt.

Septimus locus. In Euangelio dicitur: *Bibite ex hoc omnes*; ergo traditio Catholica de communione ſub vna ſpecie eſt contra, non ſolum præter verbum Dei; quam exempli tantùm cauſa productam aduerſarius voluit. Reſponſum eſt, falſam quidem eſſe conſequentiam, ſed diſputationem de hac re ad inſtitutum nihil facere: non enim iam agi de hac vel illa traditione in ſpecie; ſed probandum eſſe aduerſariis generatim, nihil extra ſcripturam ad religionem pertinens credendum. Et additum eſt, ſuo loco cum ad traditiones Catholicas in ſpecie defendendas ventum fuerit, nos facile ad hanc obiectionem reſponſuros. Paratos interim ſe noſtri offerebant, etiam priuatim ad eiuſmodi dubitationes quibuſuis reſpondere.

Octauus locus, Romanor.16. *Ei autem, qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundum reuelationem myſterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum eſt per ſcripturas Prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei.* Reſponſum eſt; hunc locum pro vobis facere; tribuitur enim hic confirmatio in fide in gratia DEI, non tantum ſcripturæ, Sed etiam Prædicationi, atque adeò verbo DEI non ſcripto. Interim tamen nemo negat myſterium Incarnationis CHRISTI & Redemptionis humanæ, eſſe in ſcriptura patefactum, cum hoc duntaxat negatum ſit, ſcripturam eſſe ſolum & vnicum Eccleſiæ fundamentum, & omnia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quæ ad fidem & religionem pertinent, in ſcripturis eſſe expreſſa.

Nonus locus ad Galat. 1. monet Apoſtolus, *ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini*, reſponſum eſt, ſermonē illic eſſe de iugo ſeruitutis legis Moſaicæ, cui nolit Apoſtolus Chriſtianos eſſe ſubiectos, vt ex textu euidens eſt.

Decimus locus, 2. ad Timoth. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Ergò ſufficit ſcriptura abſq; traditionibus non ſcriptis ad perfectionem. Reſponſum eſt, non idem eſſe, vtilem eſſe ſcripturam, & ſufficientem eſſe; panis enim quidem eſt vtilis ad vitam hominis conſeruandam, ſed ſufficiens nō eſt. Itaque tametſi ſcriptura ſit vtilis, non eſt tamen ſufficiens. Quæ reſponſio ex eo confirmata eſt, quia alias ſequeretur, quemlibet ſcripturæ librum eſſe ſufficiētem; cum Apoſtolus dicat: *Omnis ſcriptura*, &c. quod tamen nemo dixerit. Neq; quicquam huic ſolutioni opponere potuerunt Aduerſarij; niſi eam voces oppoſitionem, quod eximius ille Doctor Hunnius pueriliter verba textus enarrando, nouum Dictionarium cudere conatus eſt. Ita enim explicabat illum locum. *Omnis ſcriptura*, id eſt, tota ſcriptura, *vtilis eſt*, hoc eſt, ſufficiens eſt, &c. qua ratione ſi pueri Ciceronem in ſcholis interpretarentur, ferulam vtiq; Præceptoris non effugerent. Eſto enim quod (*omnis*) quandoque ſumatur, pro particula (*tota*) vox tamen (*vtilis*) per vocem (*ſufficiens*) ineptiſſimè abſque dubio explicatur. Atque ita Aduerſarij ſua ex ſcripturis argumenta concluſerunt, quæ profectò, velut aranearum telæ in aere expanſæ, non capiant niſi ſimplices, non detineant, niſi puſillos. Ex alijs ſi qui argumentis illis nihilominus adhæreſcunt, illi certè non ab argumentis tenentur, ſed ipſi potius argumenta quantumuis friuola tenent, vt imbecilles teneant, à quibus velut aranei paſcantur.

Coronidis loco tandem Aduerſarij ad ſuam theſin probandam, ne quicquam omiſiſſe viderentur, multa SS. Patrum teſtimonia pro ſua ſententia congeſſerāt, quæ in octaua ſeſſione ex ſcripto publicè ſunt recitata; ſed ea breuitatis cauſa prudens omitto, vt & reſponſionem Catholicorum, tam generalem, quæ in ipſa illa ſeſſione data eſt, quàm ſpecialem, ad ſingula, quæ ſcripto itidem comprehenſa, & in Protocollum relata eſt; vt Lector nihil amplius deſiderare poſſit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VNDECIMVM.

QVAM JNEPTE ADVERſarij ſcripturas inter argumentandum produxerint.

ANTEQVAM ea, quæ ad argumenta Aduerſariorum ſpectant, concludam; placet hic breuiter, quaſi per quandam anacephalæoſin oſtendere, quàm abſurdè Aduerſarij ſcripturas, more ſuo, in hoc etiam Colloquio adduxerint, vt & illa quoque eorum gloria, quam apud imperitum vulgus ex ſcripturarum allegatione captare ſtudebant, concidat & penitus euaneſcat. Et principio quidem, ſi hæreticis alioquin & malè ſentientibus inuſitatum eſſet ſcripturas allegare, eſſet planè, vnde Aduerſarij veriſimilem aliquam veracitatis opinionem ſibi, ex tam crebra ſcripturarum allegatione, conciliarent. Sed quando paſſim Errones omnes, Sathanam magiſtrum imitati, quem ipſi quoque Chriſto ſcripturam obijcere non puduit, ſcripturas in copia non minus, aliquando etiam magis quàm orthodoxi, effutiunt, quid mirum eſt, ſi & hæretici huius temporis perpetuo ſcripturas & verbum Dei in ore habent, licet in corde habeant nunquam? Hanc verò omnium hæreticorum, qui vnquam ſcripturas receperunt, fuiſſe quaſi ingenitam indolē, abundè teſtantur SS. Patrum monumenta: Ex quibus hæc breuiter inſerere placuit.

Primò enim Tertullianus grauiſſimus & antiquiſſimus ſcriptor in præſtantiſſimo illo libro, quem de Præſcriptionibus hæreticorum inſcripſit, id apertè teſtatur his verbis: *Scripturas* (hæretici) *obtendunt & hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent, in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt &c.* Vnde negat eſſe eos admittendos ad diſputationem de ſcripturis: *quoniam*, inquit, *nihil proficit congreſſio ſcripturarum, niſi plane vt aut ſtomachi quis ineat verſionem, aut cerebri.* &c. Deinde luculentiſſimus huius rei teſtis eſt Auguſtinus in varijs locis. Nam in Homil. 9. Tract. 18. in Ioan. *neq; enim*, inquit, *nata ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animū, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè ac audacter aſſeritur.* Idem teſtatur Epiſtola 222. ad Conſentium; *Omnes*, inquit, *qui ſcripturas in authoritate recipiunt, ipſas videntur ſibi ſectari, cū ſuos potius ſectentur errores.* Et in 83. qq. quæſtione 69.

qui filium, inquit, *Deo patri æqualem non eſſe contendunt*, (Ariani) *ſolent vſurpare familiarius hoc teſtimonium, vbi ait Apoſtolus, cum autē ei omnia ſubiecta fuerint, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui illi ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Non enim poſſet eis error oboriri palliatus nomine Chriſtiano niſi de ſcripturis non intellectis.* Et de Geneſ. ad literam, lib. 7. c. 9. *Neq; enim*, inquit, *nō omnes hæretici ſcripturas catholicas legūt, nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quod eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatē pertinaciter aſſerunt.* Et lib. 2. de nupt. & Concup. cap. 31. *non eſt mirum*, inquit, *ſi Pelagiani dicta noſtra in ſenſus quos volunt, detorquere conantur; quandoquidem de ſacris ſcripturis, non vbi obſcurè aliquid dictum eſt, ſed vbi clara & aperta ſunt teſtimonia, id facere conſueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum.* Idem teſtatur lib. 2. cap. 61. contra lit. Petil. Donatiſtæ.

Omnium autem luculentiſſimè hunc hæreticorum morem depingit Vincentius Lyrinenſis, antiquus ſcriptor, qui & ipſe quoq; ante annos amplius mille floruit, in aureo illo ſuo libello, contra prophanas hæreſeon nouitates, ex quo non pigebit ea, quæ huc maximè fecerint, deſcripta reddere. Sic enim ait cap. 35. *Hic fortaſſe aliquis interroget, an & Hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimonijs vtantur. Vtuntur planè, & vehementer quidem; nam videas eos volare per ſingula quæque ſancta legis volumina, per Moyſi, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim, ſiuè publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue libris, ſiue in conuiuijs, ſiue in plateis; nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni Opuſcula, Priſcilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumq; peſtium, cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris teſtamenti ſententijs fucata & colorata ſit. Sed tanto magis cauendi & pertimeſcendi ſunt, quanto occultius ſub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè cito eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur: atq; idcircò eos cœleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergunt, vt ille qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaq; faciunt quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, vt incauta ætas cum dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam ijs curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, vt nemo ferè, vbi ſupra ſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum.*

Et rurſus cap. 36. idem confirmat ex teſtimonio Chriſti Matth. 7. *Idem deniq;* (inquit) *& Saluator clamabat: attendite vobis à Pſeudoprophetis*

phetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, ab intus autem ſunt lupi rapaces. Quid eſt veſtitus ouium? niſi Prophetarum & Apoſtolorum proloquia; quæ ijdem ouili quadam ſynceritate agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquam vellera quædam texuerunt? Qui ſunt lupi rapaces? niſi ſenſus Hæreticorum feri & rapidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti quaqua poſſunt dilacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententijs, velut quibuſdam velleribus obuoluunt; vt cum quiſque lanarum mollitiem perſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. Sed quid ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoſcetis eos, id eſt, cum cœperint illas voces non iam proferre tantum, ſed etiam exponere, nec adhuc iactare ſolum, ſed etiam interpretari, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc nouitiũ virus exhalatur, tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primum ſcindi ſepem videas, tunc transferri Patrum terminos, tunc catholicam fidem cædi, tunc Eccleſiaſticum dogma lacerari.

Et cap. 37. Idem comprobat ex 1. Corinth. 11. *Tales*, inquit, *erant ij, quos percutit Apoſtolus Paulus in ſecunda ad Cor. dicens: nam eiuſmodi, inquit, Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Quid eſt transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti? proferebant Apoſtoli diuinæ legis exempla, proferebant & illi: proferebant Apoſtoli Pſalmorũ authoritates, proferebant & illi: proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant. Sed cum ea quæ ſimiliter protulerãt, interpretari non ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruerſis, tunc poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur. Et non mirum, inquit, ipſe enim Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis: non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurantur, ſicut miniſtri iuſtitiæ. Ergo ſecundum Apoſtoli Pauli magiſterium, quotieſcunque vel Pſeudoapoſtoli, vel Pſeudopropheta, vel Pſeudodoctores diuinæ legis ſententias proferunt, quibus malè interpretatis errores ſuos aſtruere conentur, non dubium eſt, quin authoris ſui callida machinamenta ſectentur? quæ ille nunquam profectò comminiſceretur, niſi ſciret omninò nullam eſſe ad fallendum faciliorem viam, quàm vt, vbi nefarij erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborum prætendatur authoritas. Sed dicet aliquis: Vnde probatur, quòd ſacræ legis exemplis diabolus vti ſoleat? Legat Euangelia, in quibus ſcribitur: tunc aſſumpſit eum diabolus, id eſt, Dominum Saluatorem: & ſtatuit eum ſupra pinnam templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim, quòd Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in*

Digitized by Google

omnibus vijs tuis: in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. *Quid hic faciet miſellis hominibus qui ipſum Dominum Maieſtatis, ſcripturarum teſtimonijs appetiuit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Quare? ſcriptum eſt enim, inquit. Magnoperè nobis doctrina loci iſtius attendenda atq; retinenda eſt, vt tanto Euangelicæ authoritatis exemplo, quando aliquos Apoſtolica ſeu Prophetica verba proferre contra catholicam fidem viderimus, Diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Nam ſicut tunc caput capiti, ita nunc quoq; membra membris loquuntur: membra ſcilicet Diaboli, membris Chriſti; perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis; Hæretici poſtremò catholicis. Sed quid tandem dicit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt, filius eſſe vis Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione dimitte. At ſi quis interroget quempiam hæreticorum ſibi talia perſuadentem: vnde probas, vnde doces, quod Eccleſiæ catholicæ vniuerſalem & antiquam fidem dimittere debeam? ſtatim ille: ſcriptum eſt enim. Et continuò mille teſtimonia, mille exempla, mille authoritates parat, de lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis: quibus nouo & malo more interpretatis, ex arce catholica in hæreſeos barathrum infœlix anima præcipitetur. Iam verò illis quæ ſequuntur promiſſionibus, miro modo incautos homines hæretici decipere conſueuerunt. Audent etenim polliceri, & docere, quod in Eccleſia ſua, id eſt, in communionis ſuæ conuenticulo, magna & ſpecialis ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia, adeò vt ſine vllo labore, ſine vllo ſtudio ſine vlla induſtria, etiamſi nec quærant, nec petant, nec pulſent, quicunq; illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita diuinitus diſpenſentur, vt angelicis euecti manibus, id eſt, angelica protectione ſeruati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum, id eſt, nunquam ſcandalizari.* Hæc vir ille diſertiſſimus.

Ne verò Aduerſarij noſtri dicant, hæc de hæreticis dicta, ad ſe non pertinere; videamus quonam modo Vincentius Lyrinenſis hæreticos, tametſi maximè ſcripturas iactitent, dignoſcendos cenſeat. Sic enim ait cap. 38. *Sed dicet aliquis: ſi diuinis eloquijs, ſententijs, promiſſionibus, & Diabolus & diſcipuli eius vtuntur, quorum alij ſunt Pſeudoapoſtoli, & Pſeudoprophetæ, & Pſeudomagiſtri, & omnes ex toto hæretici, quid facient Catholici homines, & matris Eccleſiæ filij? quonam modo in ſcripturis ſanctis veritatem à falſitate diſcernent? hoc ſcilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio Commonitorij iſtius, ſanctos & doctos viros nobis tradidiſſe ſcripſimus; vt diuinum canonem, ſecundum* VNIVERSALIS ECCLESIÆ TRADITIONES, *& juxta catholici dogmatis regulas interpretentur. In qua item*

Digitized by Google

Catholica apoſtolicaq́ Eccleſia ſequantur neceſſe eſt vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem, etſi quando pars contra vniuerſitatem, nouitas contra vetuſtatem, vnius vel paucorum errantium diſſenſio contra omnium, vel certè multò plurium Catholicorum conſenſionem rebellauerit, præferant partis corruptioni vniuerſitatis integritatem; in qua eadem vniuerſitate, nouitatis prophanitati antiquitatis religionem, itemq́ in ipſa vetuſtate vnius ſiue pauciſſimorum temeritati, primum omnium generalia, ſi qua ſunt, vniuerſalis Concilii decreta præponant: tunc deindè ſi id minus eſt, ſequantur, quod proximum eſt, multorum atq́ magnorũ conſentientes ſibi ſententias Magiſtrorum: quibus adiuuante Domino, fideliter, ſobriè, ſollicitè obſeruatis, non magna difficultate noxios quosq́ exurgentium hæreticorum deprehendemus errores.

Quod ſi quis teſtimonijs etſi grauiſſimis & luculentiſſimis non conetntus, vlterius etiam huius rei quædã exempla requirat; is legat velim, Tomo 6. Auguſtini, Epiſtolam Secundini Manichæi, quam ad Auguſtinum ſcripſit, vt eum à Catholica fide rurſus ad Manichæorum hæreſin traduceret; Legat ſermonem Arrianorum, apud eundem Auguſtinum: videbit profectò in vnico illo ſermone, qui vix vnius paginæ eſt, ſupra triginta ſcripturæ loca commemorari. Legat diſputationem Auguſtini cum Maximino Arianorum Epiſcopo, & videat, an non Maximinus plura, quàm Auguſtinus, teſtimonia ſcripturæ proferat. Certè ob hoc aliquoties Auguſtinum taxat Maximinus, quod aliunde potius, quã ex ſcripturis argumenta peteret, vt ipſe Auguſtinus teſtatur libro primo contra Maximinũ. Legat quoq; S.S. Patrum, & inprimis Auguſtini ſcripta, quibus contra hæreticos diſceptant, & ad eorum argumenta ex ſcripturis petita reſpondent.

Sed quid opus eſt pluribus? Res ipſa, & experientia quotidiana loquitur; ſunt enim profectò iam in mundo hæreſes & hæretici, vbi tàm diuerſæ & pugnantes ſunt in rebus fidei grauiſſimis ſententiæ; ſeu Anabaptiſtæ ſint, & Trinitarij Lutheranis; ſeu tam hi, quam vtriq; illi, vel plures adhuc alij Catholicis; & tamen omnes illi ſcripturas proferunt, omnes ſcripturas crepant, non minus Anabaptiſtæ, & Trinitarii, quàm Caluiniſtæ; nec Caluiniſtæ minùs, quàm Lutherani; ita omninò vt quisnam plures pro ſuo errore ſcripturas proferat, non facilè iudices.

Firmum igitur eſt & fixum, hæreticorum omnium morem imitari noſtros Lutheranos, dum ſcripturas ita venditant, ita iactitãt, tanquam ſi eas ex ſuo cerebro velut Iupiter Palladem genuiſſent. Et inuenies ſanè ex iſto hominum genere (rem non minus pudendam, quàm dolendam)

qui vix ſcripturam germanicè legere norint, & ſibi iam tamen ſcripturæ intimos receſſus introſpexiſſe, & perſpexiſſe videantur, nō modò penitius, quàm omnes Catholici Doctores; qui vel in Germania, vel Italia, vel Hiſpania, vel vſpiam alibi degunt; ſed quam vel Auguſtinus, vel Hieronymus, vel alii quotquot fuerunt SS. Patres, qui ſcripturas in ipſis fontibus latinè, græcè, hebraicè, non ſolùm inter pocula, aut mulierum conuenticula vt ipſi, legerunt, ſed ad lucernam dies ac noctes ſcrutati ſunt, & meditatione, oratione, ieiuniis, vigiliis, omniq; ope cōnixi, vt veram ſcripturæ intelligentiam conſequerentur. Tales Lutherana fides Doctores creat, tales Ardeliones generat; quaſi verò ſcripturam legiſſe, ſit intellexiſſe.

Hæc ſunt ingenia, vt cum Tertulliano, lib. de præſcript. hæreticorum loquar, *de ſpiritalibus nequitia, cum quibus luctatio eſt nobis fratres, meritò contemplanda fidei neceſſaria, vt electi manifeſtentur: vt reprobi detegantur.* Qui etiam declarans facile eſſe hæreticis ſuis erroribus ſcripturas accomodare, ita loquitur: Et *ideo* inquit *habent vim, & excogitandis, inſtruendisq; erroribus facilitatem non adeo mirandam, quaſi difficilem, & inexplicabilem, cum de ſecularibus quoq; ſcripturis exemplum præſto ſit eiuſmodi facilitatis. Vis hodie ex Virgilio fabulam, in totum aliam componi, materia ſecundum verſus, verſibus ſecundum materias concinnatis? Deniq; Ouidius Geta, Medeam Tragœdiam ex Virgilio pleniſſimè expreſſit. Meus quidam Propinquus ex eodem Poeta, inter cætera ſtyli ſui otia, Pinacem Cebetis explicuit. Homero centonas etiam vocare ſolent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario, ex multis hinc inde compoſitis in vnum ſarciunt corpus. Et vtiq; fœcundior diuina literatura ad facultatem cuiuſcunque materiæ. Nec periclitor dicere, ipſas quoq; ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent, cum legam oportere hæreſes eſſe; quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent.* Ita Tertullianus.

Sed videamus quàm aptè Aduerſarii noſtri in hoc Colloquio ſcripturas adduxerint: Adduxiſſe enim multas benè, malum non eſt; ſed plurimas malè; vt Aduerſarii fecerunt, intolerabile. Duobus autem modis potiſſimum in allegandis ſcripturis peccarunt. Primò, quòd aliquoties inutiliter prorſus, & extra omne propoſitum, ſcripturas effutierunt, hoc ſibi ſolummodò propoſitum habentes, vt multa dixiſſe, multisque ſcripturis Protocollum referſiſſe viderentur. Hinc vt alia exempla prætercam, in ſeſſione tertia ſupra duodecim exempla & teſtimonia

Digitized by Google

teſtimonia ſcripturæ produxerunt, quibus aliquot etiam in Protocollo paginas impleuerunt, ad probandum id, quod nemo vnquam vel minimo indicio negauerat; videlicet quod omnes illi ſint laudati, qui ſecundum ſcriptum Dei verbum controuerſias deciderunt. In qua re, dedita opera, reſponſionem noſtram ſua probatione præuenerunt vt ne conceſſa propoſitione quam probandam ſuſceperant, facultatem amitterent, ſua, quæ collegerant, ſcripturæ teſtimonia in Protocollum referendi.

Idem abſurdum commiſerunt in ſeſſione quarta, in qua plurima quoq; ſcripturæ teſtimonia, magno cum apparatu, adduxerunt ad probandã, propoſiti ſui ſyllogiſmi propoſitionem minorem, quod videlicet omnes illi, qui à verbo Dei ſcripto receſſerunt, & vel ad dextram vel ad ſiniſtram declinarunt, ſint à Deo puniti; quod tamen eis nunquam negatum fuerat; neque etiam prudenter exiſtimare poterãt, ſibi negatum iri; maiore interim propoſitione, quæ maximè probatione indigebat, aut callidè diſſimulata; aut ſtolidè prætermiſſa, vt ſuprà cap. 7. declaratum eſt.

Et ſi boni iſti viri eiuſmodi ſcripturæ teſtimonia non tantum quoad capita, ſed etiam quoad verſus citata, ex memoria recitaſſent, tunc aliquam ſaltem tenacis memoriæ, ſi non ſolertis ingenii, laudem reportaſſent: Sed quando, vt velimperitum vulgus animaduertit, omnia ferè ex charta prælegerunt; iam certè neque ingenii, neque memoriæ laudem vllam ſunt adepti; quandoquidem etiam vnius anni Grammatiſta puer, quod ab eis præſtitum, pari facilitate & fœlicitate præſtare potuiſſet.

Alterum peccatum in ſcripturis citandis ab eis commiſſum, conſiſtit, in conſequentiis ex ſcriptura ineptè deductis; quales Exempli cauſa ſunt iſtæ. Petrus ait Epiſtol. *1.* cap. 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, &c.* Ergo Prædicantibus in diſputatione quiduis de fide interrogantibus reſpondendum eſt, ſiue ad propoſitum alioquin ſcopum pertineat, ſiue non pertineat. in quem ſenſum argumentatus eſt Hunnius ſeſſione prima.

Item Eſaiæ 8, dicitur. *Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux*; Ergò circa religionem nihil, niſi quod in Dei verbo ſcriptum eſt, docendum eſt, aut credendum, quæ fuit conſequentia Aduerſariorum in ſeſſione prima.

Item in Epiſtola ad Hebr. nuſquam Paulus Moyſen vocat ſumum Sacerdotem, ſed Aaronem, ergò Moyſes non fuit propriè ſacerdos, aut ſummus ſacerdos, quicquid dicat Dauid, Pſal. 99. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius,* Quæ fuit argumentatio Hunnii ſeſſione ſecunda, vbi etiam propterea auſus eſt dicere, ſuam aſſertionem contineri in Epiſtola ad Hebræos.

Item Deus mittit Epulonis amicos ad Moyſen & Prophetas: Ergò Moyſis & Prophetarum ſcripta, ſunt vnica norma religionis. Quod eſt argumentum Aduerſariorum in ſecunda ſeſſione.

Item ſcriptura dicit: *Omnis homo mendax*: Ergò Pontifex Romanus poteſt errare etiam in definiendo, vt in ſeſſione tertia argumentati ſunt Aduerſarij.

Item Paulus ad Roman. 15. ait. *Non audeo aliquid loqui eorum* (falſò ſcilicet quippiam mihi arrogando) *quæ per me non efficit Chriſtus.* Ergò Pontifex Romanus non habet poteſtatem ferendi leges in Eccleſia extra ſcripturã, quam conſequentiam pertinaciter defendit Hunnius ſeſſione ſexta.

Item Paulus ait, 2. ad Timoth. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, &c.* Ergò ſcriptura ſola excluſis traditionibus ſufficiens eſt ad docendum, &c. quam conſequentiam mordicus etiam propugnauit Hunnius ſeſſione ſeptima & octaua.

Item Actor. 16. & 1. Cor. 1. Integra familia eſt baptizata: Ergo euidenter ex eo loco colligitur, infantes quoquè in ea familia fuiſſe baptizatos; quamdiu non demonſtratur, nullos in illis familiis infantes fuiſſe; quantumuis alioquin de eis ne verbulo quidem vlla mentio fiat; quæ fuit argumentatio Hailbronneri ſeſſione duodecima. Et plures alibi paſſim in Protocollo occurrunt ſimiles conſequentiæ, quas breuitatis cauſa prætermitto.

Neque lubet etiam hic acerbè improperare Aduerſariis, quod ſcripturas aliquando corruptè citauerint, etiam quoad ſenſum, de quo quæſtio vertebatur: vt quando in ſeſſione prima dicebat Hunnius: Petrus ait in Epiſtola 1. cap. 3. quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei, &c. vbi tamen à noſtris oſtenſum eſt, Petrum ſolùm iubere, vt quouis tempore parati ſimus ad reddendam rationem, &c. Item, quando Hailbronnerus in ſeſſione prima, ex Ioann. 5. cap. retulit hanc ſententiam; *Eſt qui iudicabit vos Moyſes*; vbi tamen ſolùm legitur. *Eſt qui accuſat vos Moyſes. &c.*

Sed

Digitized by Google

Sed hæc, vt dixi, memoriæ, non animi vitio tribuo; quandoquidem ea teſtimonia cum incidenter prolata videantur, in ſua charta fortè deſcripta non habebant Aduerſarij. Ex dictis verò ſatis manifeſtum eſt, quàm abſurdè, quàm imperitè, quàm impertinenter, Aduerſarij ſcripturas citauerint. Quod ſi quis eis forſan acerbiùs exprobret, vt Auguſtinus Maximino Ariano, non aliud tamen ab eis reſponſum auferat, quàm quod idem Maximinus dedit Auguſtino; *Etiamſi*, inquit, *per totum diem quiſq; de diuinis ſcripturis proferat teſtimonia, non in verboſitate illi imputabitur*; quaſi verò verboſitas maxima non ſit, diuina verba inaniter effutire, ad erroris autem defenſionem pertinaciter trahere, non ſit immane ſacrilegium.

Digitized by Google

PARS SECVNDA.

DE ARGVMENTIS CATHOLICORVM ET RESPONSIONIbus Aduerſariorum.

OMNIA quidem argumenta Catholicorum initio ſtatim in quinque claſſes erant diſtributa, in quarum prima probandum erat, quod ſcriptura ſola propriè non ſit Iudex controuerſiarum fidei. In ſecunda, quod ſcriptura quoque ſola non ſit vnica norma & forma religionis. In tertia, quòd Eccleſia vera ſit judex omnium controuerſiarum religionis, abſtrahendo, quæ nam ſit vera Eccleſia, & qui nam in Eccleſia habeant eiuſmodi poteſtatem. In quarta, quòd nulla alia præter Catholicam ſit vera Eccleſia, atq; adeò Iudex controuerſiarum religionis. In quinta, quòd Pontifex Romanus in Eccleſia Catholica ſit determinatè Iudex ille controuerſiarum religionis. Verùm quia diſputatio poſtea præter ſpem citius abrupta eſt, vt alibi dicetur, neq; niſi ſex Seſſiones in argumentis Catholicorum conſumptæ, cùm tamen Aduerſarij octo habuerint pro ſuis, ideò duæ poſteriores claſſes intactæ remanſerunt. Quæ nam autem argumenta ex alijs claſſibus prolata ſint, quidque ad ea ab Aduerſarijs reſponſum, iam videamus, vt enim ſincerè juxta fidem Protocolli, ita quoq; breuiter & perſpicuè omnia proponere conabor.

CAPVT PRIMVM.

DE PRIMO ARGVMENTO Catholicorum, quòd ſcriptura propriè non ſit Iudex, cum reſponſionibus Aduerſariorum.

Circa

CIRCA primam igitur claſſem, ad probandum, quòd ſcriptura propriè non ſit Iudex controuerſiarum religionis, hoc argumentum initio propoſitum eſt Seſſ. 9. & deſumptum ex illis locis ſcripturæ, in quibus aſſeritur, Eccleſiæ regimen & hierarchiam optimè à DEO diſpoſitam eſſe; vtpote quæ idcircò *regno* comparatur Matth. 25. & *domui* ſeu familiæ rectè diſpoſitæ Heb. 3. & *Caſtrorum aciei ordinatæ* Cant. 6. quibus ſcripturæ locis ſuppoſitis, hoc argumentum in forma propoſitum eſt. Si in omni Repub. benè ordinata aliquis alius viſibilis Iudex præter ſcriptam legem requiritur, tunc in Eccleſia quoq; vtpotè rectiſſimè ordinata, alius Iudex præter ſcripturam ſeu legem ſcriptam admitti & aſſignari debet: ſed verum eſt antecedens: Ergo & conſequens. Sequela Maioris negata, probata eſt ex eo; aliâs enim ſecuturũ eſſe, quòd Eccleſia ſit minus benè ordinata, quàm aliæ Reſpub. quod eſt abſurdum. Ad hoc enim vt Reſpub. aliqua, qualiſcunq; illa ſit, benè ſit ordinata, omninò requiritur, vt præter ſcriptam legem alius quiſpiam Iudex viſibilis conſtituatur. Quod ex eo demonſtratum eſt: Nulla enim Reſpub. rectè ordinata dici poteſt, in qua non eſt aliquis, qui poſſit primò cognoſcere controuerſias in Repub. ortas; atq; adeò vtriuſque partis argumenta conferre: Secundò ſenſum legis explicando, claram ſententiam ferre: Tertiò compellere tranſgreſſores legum ad obedientiam inflictâ pœna: quæ tamen omnia & ſingula, niſi in Repub. præter ſcriptam legem ſit aliquis viuus Iudex, fieri non poſſunt; vtpotè quòd lex ſcripta, qualiſcunq; ſit, nec argumenta vtriuſque partis cognoſcat; neq; ſenſum legis in omni controuerſia ſufficienter declaret; neque tranſgreſſores ad obedientiam compellat: Ergo vt Reſpub. aliqua ſit benè ordinata, omninò requiritur, vt præter legem ſcriptam alius quiſpiam Iudex viſibilis conſtituatur. Neq; refert, quòd DEVS ipſe controuerſias cognoſcat, & tùm in ſua mente, ſententiam ferat: tùm etiam eam aliquo modo per ſacram ſcripturam pronuntiet. Non enim clarè de qualibet controuerſia per ſcripturam ſententiam profert: cum de ipſius ſcripturæ tùm authoritate, tùm ſententia oriri controuerſiæ poſſint, quæ certe per ſcripturã ſolam dijudicari ſufficienter non poſſunt. Quod etiam in politicis controuerſijs accidit. Licet enim Deus quoque controuerſias omnes politicas probè vtique cognoſcat, & in ſua mente dijudicet, quin etiam ſeu Deus ipſe, ſeu Rex per leges, autoritate diuinitus conceſſa, aliquo modo ſententiam proferat: nihilominus alio opus eſt Iudice viſibili, qui clarè de quaq; cõtrouerſia, quæ etiã circa legis ſcriptæ ſenſum & valorem oriri poteſt, ſententiã pronuntiet.

Digitized by Google

Ad hoc argumentum cum initio varia dixiſſent Aduerſarij, tandem tamen admiſerunt, eſſe omninò præter Deum & ſcripturam, quaſi vocē ſupremi Iudicis, aliquem adhuc Iudicem in terris, & quidem publicam, limitatam tamen, & ad verbum Dei reſtrictam poteſtatem habentem, ipſum ſcilicet miniſterium à Deo in Eccleſia inſtitutum, quod, ſi quidem normam verbi diuini ſequatur, errare non poſſit, abſolutè tamen infallibile non ſit, ſed in judicando poſſit errare.

Ad hanc reſponſionem, cùm noſtri grato in primis animo acceptaſſent, quod Aduerſarij aliquem alium Iudicem, præter ſcripturam, publicam authoritatem habentem, admiſiſſent, & iam in eo ſolùm à nobis diſſentirent, quod ipſi fallibilem quendam Iudicē, cum publica autoritate, ſtatuerent, nos infallibilem; deinde vt quid controuerſum eſſet, intelligeretur, palàm etiam Catholici declarârunt, non quærere ſe aliquem Iudicem præter Deum, eiuſq; verbum, qui omninò independentem quandam & illimitatam authoritatem habeat, vt Aduerſarij inſinuaſſe videbantur; ſed talem ſolummodo in Eccleſia viſibilem Iudicem requirere, qui in judicando authoritatem abſolutè infallibilem, licet à Deo interim dependentem, habeat.

Et talem quidem omninò Iudicem admittendum eſſe præter ſcripturam, ita probatum eſt. Niſi miniſterium illud publicam, vt conceſſum eſt, in judicando authoritatem habens, ſit infallibile: ſequitur quòd tota Eccleſia, vi talis miniſterij à Deo inſtituti, poſſit in errorem induci: ſed conſequens eſt valdè abſurdum: Ergo & antecedens.

Maior propoſitio negata, probata eſt hoc argumento. Quandocunq; aliquis magiſtratus, habens publicam authoritatem, abſolutè fallere poteſt, atq; adeò in aliquo dubio definiendo errare, tunc etiam ſubditi, ad quos ea ſpectat definitio, in tali dubio, vi talis regiminis, errare poſſunt, imò & debent: Atqui miniſterium illud diuinitus in Eccleſia inſtitutum ſecundum Aduerſarios eſt fallibile, & tamen nihilominus publicam habet authoritatem: Ergo vi illius miniſterij vniuerſus populus Chriſtianus, atq; adeò tota Eccleſia, non tantùm in errorem labi, ſed trahi quoq; poterit.

Maior huius ſyllogiſmi negata, probata eſt euidenter ex principio quodam morali omnibus Ethicis, tàm in Ariſtotelica, quàm Chriſtiana Philoſophia verſatis, notiſſimo, licet ab Aduerſarijs ex mera deſperatione negato; nempè quòd in omni politia teneantur ſubditi, in dubio (quando videlicet non conſtat, quòd ſententia magiſtratus ſit erronea) depo-

Digitized by Google

depoſito dubio,ſui Magiſtratus ſententiam amplecti,ne alioquin,etiam quoad iudicandi authoritatem,par aut melior ſit conditio ſubditi;quàm ſuperioris;& non tàm Magiſtratus populi , quam populus ſit iudex ſui magiſtratus,Ex quo euidenter ſequitur, ſi magiſtratus publicam authoritatem habens,poteſt errare in dubio , poſſe quoque ſubiectum populum errare.

Quia verò adigi non poterant Aduerſarii,vt in forma,ſine tergiuerſatione,ad propoſitum hoc argumentum reſponderent; ſed obiectis tantùm aliis quibuſdam exemplis ſcripturæ(quæ vt impertinétiſſima,& ſufficientiſſimè in Protocollo refutata prudens omitto)argumentum obiectum declinare potius,quàm ſoluere conabantur: Ideò concluſum eſt hoc argumentum , & iudicium commiſſum Auditoribus , qui etiam moniti ſunt,vt illud ſaltem , circa hoc punctum diligenter notent, non potuiſſe ab Aduerſariis ad hoc argumentum reſponderi quicquam, niſi admiſſo illo abſurdo,quod populus in dubio,non teneatur ſuam ſententiam accommodare ſententiæ magiſtratus , licet fortè erroneæ. Quod in omni doctrina morali , tàm diuina , quàm ariſtotelica , eſt abſurdiſſimum,cum alias,vt dixi,par,aut etiam melior ſit futura in iudicando poteſtas populi,quàm Magiſtratus. Quod etiamnum lectorem veri amantem,vt animaduertat,etiam atq; etiam obteſtor,

Nam ſi in dubio non tenemur ſtare iudicio & ſententiæ ſummi magiſtratus;ſequitur profectò , nulla re penitus maiorem ſeu meliorem in iudicando poteſtatem eſſe Magiſtratus , quàm ſubditorum ; vtpote cùm(hac quidem ſententia)& ſubditi ſui Magiſtratus ſententiæ ſtare nō debeant,niſi quando manifeſtè ſciunt , eam ab omni errore alienam eſſe,& ipſe quoque magiſtratus acquieſcere vtique debeat ſententiæ ſubditorum,quando nouit eam eſſe veritati & rationi conſentaneam.

Imò vlterius ſequitur,magiſtratus poteſtatem in iudicando nullam eſſe.Vel enim res liquida eſt,vel dubia:ſi liquida eſt, iam nō opus eſt authoritate Iudicis, quem nemo conſulit,niſi in dubio.Si dubia eſt;tunc quia iſti mirabiles Ethici dicunt, nō eſſe ſtandū Iudicis ſententiæ , nullū quoque locum habebit authoritas Iudicis.Itaque Prædicantes iſti, dum ſuam illam ſententiam de ſcriptura Iudice pertinaciter tuentur,omnem omninò iudicandi authoritatem magiſtratibus adimunt, digni,qui omni omninò iudicandi authoritate exuti, in ordinem redigantur.

Nec eſt,quod de magiſtratu Eccleſiaſtico & ciuili diſtinguant , vt tandem diſtinguere voluiſſe,viſi ſunt.Nam principium hoc generale eſt,

Digitized by Google

& de omni magiſtratu procedit; eoque abſurdius eſt, in Eccleſiaſtica Repub. aliquem ſui Magiſtratus Iudicem fieri, quò ſublimius eſt hoc regimen, & quò turpius & periculoſius in eo ſubditi à magiſtratu diſſentiunt.

CAPVT SECVNDVM.

DE SECVNDO ARGVMENTO Catholicorum, quod ſcriptura non ſit verè Iudex, cùm reſponſionibus Aduerſariorum.

ALterum argumentum, à noſtra parte productum ſeſſ. 9. ad eandem rem confirmandam, quod ſcilicet ſcriptura non ſit propriè Iudex controuerſiarum religionis, hoc erat. Omnis Iudex, præſertim ſupremus in hac vita, & generalis, ita debet dicere ſententiam, vt altera pars litigans euidenter ſciat, ſe viciſſe, altera pars euidenter ſciat, ſe cauſam amiſiſſe, quantum eſt ex parte illius Iudicis; at hoc neque ſacra ſcriptura, neque Spiritus ſanctus, quatenus præcisè per ſcripturam loquitur, poteſt facere, ergo neque ſacra ſcriptura, neque Spiritus ſanctus, quatenus præcisè per ſcripturam loquitur, eſt talis iudex. Admiſſa propoſitione maiore, minor negata, euidenter præſenti experientia eſt probata. Nam eo ipſo tempore, quo colloquium agitabatur, controuerſia erat inter Catholicos & Lutheranos de iudice, & norma controuerſiarum fidei, quam Aduerſarii, ſcriptura iudice, decidendam dicebant; & tamen nihilominus, licet ſæpius lectis & relectis ſcripturæ locis, quæ ad rem ſpectabant, vtraque pars litigans, tàm noſtra videlicet Catholicorum, quàm aduerſa Lutheranorum, planè iudicabat ſententiam ſcripturæ à ſe ſtare, non contra ſe. Itaque vel hoc exemplo manifeſtum eſſe, quòd ſcriptura non ita ſententiam proferat, vt altera pars euidenter ſciat, ſe quantum eſt ex parte huius iudicis, cauſam obtinuiſſe, altera quoque euidenter ſciat ſe, quantum eſt ex parte huius Iudicis, cauſam amiſiſſe.

Hîc cùm Aduerſarii, ſe conſtrictos teneri, animaduerterent, mirum quæ effugia quæſierint. Aliquando enim conati ſunt rurſus, admiſſam ſemel maiorem illam propoſitionem retexere; dicentes primò, non

ſemper

ſemper clarum eſſe alteri parti litigātium, quod iuſtè ſit damnata:ſecundò aliquando abſentes damnari,qui non ſtatim euidenter ſciant,ſe damnatos. Tertiò Chriſtus Ioann.5.& 12.Moyſen conſtituit Iudicem inter ſe & Iudæos,& tamen Iudæi euidenter non ſciebant ſe à Moyſe damnatos. Sed hæc vaniſſima eſſe effugia,clarè demonſtratum eſt.Eſto enim,quod non ſemper altera pars ſciat,ſe iuſte damnatam,ſcit tamen ſe damnatam quantum eſt ex parte huius iudicis, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, de quo nihil diſputabatur.Eſto etiam,quòd abſens damnatus non ſtatim ſciat,ſe damnatum;attamen audita ſententia Iudicis,ſcit profectò euidenter,ſe damnatum eſſe,aut ſi quod dubium eſt,tandem tamen per poſteriorem ſententiam, omne dubium,ex parte Iudicis,adimitur. Sed poſt ſcripturæ ſententiam etiam ſæpius auditam,lectam & relectam,adhuc tamen altera pars non euidenter ſcit, ſe, quantum eſt ex parte eius iudicis, damnatam;ſed vtraque exiſtimat ſe,hoc iudice,cauſam euiciſſe: Moyſes autem ſeu ſcripta Moyſis, impropriè tantùm Iudex aliquando dicitur, vt alibi reſponſum eſt, propriè autem Iudex in cauſis religionis erat Chriſtus,à quo ſanè Iudæi,ſe damnatos eſſe,euidēter ſciebant. Accedit,quod Ioan. 5.non dicitur,*Eſt qui iudicat*,ſed *Eſt qui accuſat vos Moyſes*: Ioann.12.autem apertè de extremo iudicio ſermo eſt, neque Moyſes ibi Iudex conſtituitur;ſed ſermo Chriſti.*Sermo quem locutus ſum,ille iudicabit eum in nouiſſimo die*;inquit Chriſtus. Confugiebant etiam Aduerſarii inter alia ad extremum iudicij diem; remotiſſimū vtique, & obſcuriſſimum latibulum.Quid enim?*iudicium*,inquit Hunius, *iam & in hoc ſæculo inchoatur,in nouiſſimo autē die conſummabitur, &c. Aliud igitur, inchoatū eſt & aliud conſummatum iudicium:* ac ſi apertè dicat:mirum non eſſe,ſi iam vtrique parti veritas non poſſit penitus innoteſcere, ita vt altera pars euidenter ſciat,ſe, quantum eſt ex parte huius iudicis, abſolutam, altera ſe damnatam eſſe,in extremo vero tandem iudicii die,clarè vtramque partem intellecturam ſupremi iudicis ſententiam. *Quia illa euidentiā perceptionis non ſemper requiritur ad perfectionem Iudicis & officii illius, ſed nonnunquam differtur in futurum:*vt infra etiam declarauit Hunnius. Audis planè Lector vocem impiorum apud Iob. cap. 22. *quid enim nouit Dominus? & quaſi per caliginem* (in hac vita) *iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Nonne hæc ipſiſſima Sectariorum ſententia? In hac quidem vita, inquiunt, Deus non conſtituit talem iudicē,cuius ſententia & deciſione etiam ſæpius audita & lecta,certum & euidens partibus eſſe poſſit; alteri quidem, ſe,quan-

tum eſt ex parte huius iudicis, cauſam amiſiſſe; alteri, ſe eam obtinuiſſe; iam enim *quaſi per caliginem iudicat*: ſed olim id primum partibus euidenter conſtabit. Vbi eſt igitur Deus interim; quid agit? *nubes ſcilicet latibulum eius; nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat*. Profectò ita eſt, ſi non alium nobis iudicem reliquit, neque enim aut errores vitari poterunt, quamdiu ſententia errores damnantis clarè non eluceſcit; & obortæ controuerſiæ, nec ex parte quidem Iudicis finiri poterunt, cum vtraque pars, hoc ipſo, quòd non euidenter de contraria iudicis ſententia edocetur, meritò in ſua ſententia perſeuerat. Ponamus enim duos in iudicio ciuili litem agitare, & iudicem quidem pronunciaſſe ſententiam, ſed minus perſpicuam, ita vt neutra pars, etiam lata iam & lecta ſententia, euidenter ſcire poſſit, iudicem contra ſe tuliſſe ſententiam; ſed potius exiſtimet, à ſe iudicem ſtare. Anne tenebitur alteruter à ſua ſententia diſcedere? Nunquid tali ſententia finiri controuerſiæ vnquā poterunt? Quod ſi ita eſt, ſi, inquam, Deus non iam in ciuilibus, ſed ſpiritualibus cauſis & controuerſijs, quæ æternam animarum ſalutem concernunt, in quibus abſque periculo æternæ mortis errare non accidit, ita nos à iudice claro deſtituit, num exiſtimare poſſumus, eum noſtra conſiderare, noſtrique paternam vt decet, curam gerere? Ecce in quas blaſphemias homines iſti (teipſum Lector iudicem appello) cum ſuo iudice vel inuiti delabantur.

Sed vt etiam remotiſſimè aufugerint, neque ſic tamen argumenti vim effugerunt: Accipimus enim libenter, & obuijs vlnis amplectimur, ſcripturam in hoc ſæculo claram ita ſententiam ferre non poſſe, vt altera pars euidenter ſciat, ſe damnatam, altera ſe abſolutam, hoc iudice: hoc ipſum enim eſt, quod probandum ſuſceperamus.

Verum hinc propoſiti argumenti vis non eneruatur; ſed potius ita roboratur, vt à nemine conuelli poſſit: manet enim iam argumentum confectum. Iudex pro eo tempore, quo iudicis officium ſuſtinet, debet ita ſententiam ferre, vt altera pars euidenter ſciat ſe hoc iudice damnatam, altera, abſolutam; ſed ſcriptura in hoc ſeculo non poteſt ita ſententiam ferre: Ergo firmum manet, quod ſcriptura in hoc ſeculo iudex eſſe non poſſit. Nec ad hoc omnino quicquam, quod ad rem faceret, reſponderi potuit, in quo rurſus ad Protocollum me refero.

Sed quid in hac diſputatione fecerunt miſeri? Argumentum illud, quo ſe victos intelligebant, cum ſoluere non poſſent, calumniari cœperunt, tanquam ſi videlicet minus religioſè dictum fuiſſet, Spiritū ſanctū

non poſſe, quatenus præciſe loquitur per hanc ſcripturam (ſi aliud interim nec dicat, nec faciat) ita ſententiam proferre, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſa cecidiſſe, altera, ſe cauſſam obtinuiſſe. Hoc enim ſermone omnipotentiam Spiritui ſancto derogari. Sed vt hæc calumnia locum fortaſſe aliquem apud ſimplices inuenerit, intelligentes tamẽ nihil mouere potuit; vtpote qui ſcirent, eſſe quidem omnia Deo poſſibilia, juxta dictum Angeli, Luc. 1. non tamen niſi, vt ita loquar, *factibilia*, quæ fieri ſcilicet, aut eſſe poſſint: Si quid verò implicat contradictionem in adiecto, vt ſcholæ loquuntur, id certè Deo velle tribuere ſtultum eſt. Hinc audenter dicimus; Deum non poſſe mentiri, non poſſe mutari. Hinc etiam S. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium de virgin. *Audenter*, inquit, *loquar, cum omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt, poſt ruinam*. Eandem doctrinam optimè intellexit S. Auguſt. lib. 26. cont. Fauſtum capite 5. vbi ait. *Quiſquis dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat, vt quæ facta ſunt, facta non fuerint; non videt hoc ſe dicere, faciat, vt quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint.*

Quod ſi aliquis roget, quænam in propoſito ſit implicatio contradictionis. Reſpondetur hanc eſſe, quod ſpiritus ſanctus, quatenus præciſe loquitur per ſcripturam, ferret ita ſententiam, vt altera pars euidenter ſciret, ſe hoc judice cauſſam amiſiſſe, altera ſe obtinuiſſe, idque ex data hypotheſi; & ſimul tamen re ipſa non ferret ita ſententiam, cùm ipſa experientia teſte, & Aduerſarijs quoque comprobantibus, manifeſtum ſit, etiam latâ iam ſcripturæ, ſeu ſpiritus ſancti per ſcripturam ſententiâ, euidenter ab errante parte ſæpè non cognoſci, ſe, quantum eſt ex parte illius judicis, cauſſa cecidiſſe: quæ eſt manifeſta implicatio contradictionis. Accedit quòd ipſe quoq; ſpiritus ſanctus ita ſuum decretũ mutaret.

Quòd ſi forte ex Aduerſarijs quidam, vt res ipſa per ſe ſubtilis eſt, declarationem hanc nec dum intelligit, eum ſaxo, vt vel rem exemplò hoc planè capiat, aut ſi minus capiat, intellectus ſui ruditatem, non rei falſitatem accuſet. Dicat enim mihi quæſo Aduerſarius, an Spiritus ſanctus vt præciſe loquitur per librum Ruth. V.g. aut per epiſtolam ad Philemonem, aut per illa præciſe verba Moyſi dictata: *in principio creauit Deus cælum & terram*; an, inquam, hac præciſe ratione; ſi nihil aliud interim nec dicat, nec faciat ſpiritus ſanctus, poſſit omnes omninò controuerſias in fide dirimire? certè nec Aduerſariorum quiſquam hoc affirmârit; quin potius apertè quilibet fatebitur, id Spiritum ſanctum, hac præciſe ratione, vt quæ contradictionem inuoluat, non poſſe. Quod ergo

Digitized by Google

aduerſarius,alijs obijcientibus Dei omnipotentiam,tali reſponſione,læ-ſam eſſe, reſponderet, id ſibi nunc reſponſum à me ferat, & diſcat,dictũ illud Catholicorum blaſphemiam non fuiſſe,ſed ſuum potius,calumniã. Tam enim parum credunt Catholici,totam (ſed ſolam) ſcripturam eſſe ſufficientem judicem omnium fidei controuerſiarum, quàm parum aduerſarij credunt, aliquam eiuſmodi minimam ſcripturæ particulam eſſe ſufficientem judicem omnium eiuſmodi controuerſiarum.

CAPVT TERTIVM.

DE ARGVMENTO TERTIO Catholicorum, quod ſcriptura non ſit Iudex omnium controuerſiarum religionis, & reſponſionibus Aduerſariorum.

TERTIVM argumentum,quo probatum eſt à noſtra parte,ſcripturam ſacram non eſſe judicem omniũ controuerſiarum religionis, erat huiuſmodi. Sunt aliquæ controuerſiæ relig. & fidei, quæ, ſola ſcriptura Iudice, definiri non poſſunt: ergò ſcriptura non eſt Iudex omnium controuerſiarum religionis. Ad confirmationẽ antecedentis, productum eſt primò exemplum de celebratione Paſchatis. Fuit enim, aliquando controuerſum in Eccleſia, an Paſcha celebrandũ eſſet die dominico,an Luna decima quarta, quæ vtiq; religionis quædã controuerſia erat:at hæc controuerſia tamen non poteſt dijudicari ex ſola ſcriptura: ergo ſunt aliquæ cõtrouerſiæ religionis,quæ ſola ſcriptura Iudice, nõ poſſunt definiri. Quia verò reſponſum fuerat, hanc quæſtionem nõ fuiſſe de aliquo religionis dogmate,ſed de re,ſub Euangelio Chriſti,natura ſua libera & indifferente, oſtenſum fuit, eam, facta quidem ab Eccleſia determinatione,fuiſſe de aliquo dogmate religionis. S. Auguſt. enim, Epiphanius, & Tertullianus, inter hæreticos numerant Quartadecimanos,qui nimirũ paſcha cum Iudæis,non autem die dominico celebrandũ aſſerebant:neq; id propterea, quod celebrationi Paſchatis opinionem neceſſitatis addiderunt, vt ineptiſſimè aliquoties dixerunt Aduerſarij, cum apertè fuerit oſtenſum,ipſum quoq; Victorem Romanum Pontificem, ante annos ferè mille quingentos, ac deinde vniuerſam Eccleſiam (licet Irenæus factum Victoris Pontificis,quo contrà ſentientes anathe-

mate

Digitized by Google

mate feriit, initio minùs probarit) paſcha die dominico neceſſario celebrandũ eſſe decreuiſſe; ſed ideò duntaxat, quod Paſcha cum Iudæis, Luna decima quarta celebrandum aſſererent: vnde & Quartadecimanos appellatos eſſe conſtat.

Cum autem reſpondiſſent aduerſarij, indictam quidem ab Eccleſia fuiſſe Paſchatis celebrationem, ſed non vt articulum fidei, aut cultum diuinum neceſſario obſeruandum, hoc eis argumentum à noſtris obiectũ eſt: Eccleſia præcepit celebrationem Paſchatis, at celebratio Paſchatis eſt cultus diuinus: ergo Eccleſia præcepit cultum diuinum. Ad quod argumentum hoc reſponſum tulimus, quod ne Iudæi quidem darent, nimirum obſeruationem paſchatis non eſſe cultum diuinũ. Quod reſponſum an Euangelicum ſit, prudens lector conſideret. Certe quidem hac ratione negandum erit, obſeruationem Sabbathi à Deo olim præceptã in tertio Decalogi præcepto, eſſe cultum diuinũ. Et quid ageremus cum talibus Doctoribus, quos tam putidæ reſponſionis nõ pudebat? Subſtitũ ergo eſt hic à nobis: ſatis enim erat Aduerſarios ad hoc abſurdũ adduxiſſe, vt quamuis eos ſui nõ puderet, alios certe talium tæderet Magiſtrorum.

Itaq; in probatione illius Antecedentis, quod videlicet ſint aliquæ cõtrouerſiæ, quæ ſola ſcriptura Iudice, definiri non poſſint, ad alia duo exempla ead. Seſſ.10. proceſſum eſt, hac ratione. Si oriatur quæſtio de perpetua Virginitate B. Mariæ, vel an Euangelium Nicodemi, vel epiſtola ad Philem. V. g. ſit canonica, hæ certè quæſtiones, ſola ſcriptura Iudice, definiri nõ poſſunt: ergo ſunt aliquæ controuerſiæ fidei, quæ, ſola ſcriptura Iudice, definiri non poſſunt; ac proinde ſcriptura non eſt Iudex omniũ controuerſiarũ religionis. Vbi cum ad primam quæſtionẽ reſpondiſſent Aduerſarij, perpetuã virginitatẽ B. Mariæ ſufficienter ex ſcripturis probari, cum & ſancti Patres quoq; illud Ezechielis de porta orientali clauſa ad B. Virginem referant: reſponderunt noſtri ſe non dubitare, quin authoritate Patrum ſufficienter, ex ſcriptura ſola quoq; ſatis probabiliter, colligi poſſit perpetua Virginitas B. Virginis, euidenter tamen eam ex ſcriptura ſola probari non poſſe, cum ſi præciſe ſcripturæ verba ſpectentur, ſepoſita Eccleſiæ authoritate, contrarium potius alicubi videri poſſit in ſcriptura ſignificari, vt quando apud Matth. cap. 1. dicitur, *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*; & Luc. 2. *Et peperit filium ſuum primogenitum* &c. Ad quæ teſtimonia nemo quidẽ Catholicus dubitet reſponderi poſſe & debere, ſuppoſita, ex teſtificatione & communi conſenſu Doctorum & ſanctorum Patrum fide, de

perpe-

Digitized by Google

perpetua Virginitate B. Virginis, attamen ſepoſita Eccleſiæ authoritate, nemo ex ſola ſcriptura euidenter judicaret, id, quod per eiuſmodi loca ſignificari videtur, aliqua reſponſione eſſe conuellendum. Atq; ita etiã hoc loco aduerſarijs aqua hæſit. Quod enim nihil contra hanc obiectionẽ ſolide afferre potuerint Aduerſarij, malo vt in Protocollo Lector legat, quã me aſſerente intelligat, breuitati enim ſtudeo, & ad alia feſtino. Illud tamen prætermittendũ non eſt, quòd Hunnius Seſſ. 10. inter alias rationes, quibus euidenter ex ſcriptura nitebatur probare, perpetuam Viriginitatem B. Virginis, etiã hanc attulit, indignum eſſe cogitare, corpus B. Virginis ita à Deo honoratum &c. *concupiſcentia conſuetudinis coniugalis fuiſſe pollutum & contaminatum.* Vbi bonus vir, immemor ſui Diui Patris Luteri, per concupiſcentiam conſuetudinis coniugalis pollui & contaminari hominẽ aſſeruit. Quod ſuo fortaſſe loco proderit, quando Prædicantibus perſuadendum erit, vt ne ob honorem & reuerentiam ſui tam ſacroſancti ſcilicet miniſterij, ſe conſuetudine coniugalis concupiſcentiæ polluant: aut certe hoc ſacerdotibus Catholicis jure ſtatutum, concedant.

Quid verò ad alteram quæſtionis partem reſponderint aduerſarij, audiamus. Cum iam aliàs, in prima Seſſione, vltro conceſſiſſet Hunnius, etiam in veteri teſtamento ex traditione, non autem ex ſola ſcriptura dignoſcendum fuiſſe, quod hic vel ille liber ſcripturæ ſit canonicus ſeu verbum Dei, ac proinde etiam in veteri teſtamento, hanc ſaltem traditionem non ſcriptam, de libris videlicet canonicis, admiſiſſet, non potuit ſane aliud de noui teſtamenti libris canonicis affirmare. Itaque neceſſario quamuis ægrè, & trepidè conceſſum eſt, hanc quæſtionem, an videlicet hic vel ille liber ſit canonicus, non ex ſola ſcriptura, ſed ex traditione ſeu teſtificatione Eccleſiæ non ſcripta dijudicandam eſſe. Atque adeo etiam ſolam ſcripturam non eſſe judicem omnium omninò controuerſiarum Religionis, licet interim manere dixerint judicem omniũ controuerſiarum concernentium ipſa dogmata, ſiue articulos fidei, vt ex Protocollo attentè lecto quiſq; intelliget, quanuis interim hoc reſpõſum, quod ſciret Hunnius ſuæ cauſæ parum expedire, callidè obſcurioribus verbis inuoluiſſe, quin etiam poſteà ſubindè, vt nullibi certum pedem figere poteſt falſitas, retractare voluiſſe videantur.

Ego verò interim Hunnio pro hac reſponſione gratiam habeo maximam, ſic enim expugnata eſt principalis illa theſis Aduerſariorum ſecunda, qua diſertè profitebantur, ſe verbum Dei ſcriptum controuerſiarum

rum

Digitized by Google

rum religionis omnium, inter eos præſertim, qui Chriſtianorum nomen ſibi vendicant, Iudicem, aut ſanè vocem Iudicis ſupremi, quam omnes agnoſcere, timere ac venerari tenemur, conſtituere. Et quamuis iam illam ſuam concluſionem reſtringere conentur ad articulos duntaxat & dogmata fidei ac cultus, id ipſum tamen eorum cauſam nihil iuuat, ſed prodit, cùm non ſolum verba ipſa ſuæ theſis repugnantia habeant, ſed alia etiam illorum dicta & ſcripta, & ipſe populus mala fraude ab illis ſeductus, facilè contra eos teſtimonium laturus ſit, vtpote cuius auribus, nihil quaſi frequentius inculcare ſoleant, quàm tritum illud Hæreticorum noſtrorum pronunciatum, nihil videlicet credendum, niſi ſcriptum.

Sed quia iam reſtabat, vt Prædicantes etiam vlterius fateri cogerentur ſcripturam ſolam nec omnium quidem controuerſiarum, articulos ſiue dogmata fidei & cultus concernentium, eſſe Iudicem, noſtri eos hoc argumento premebant: Euangelium Matthæi eſſe canonicum eſt articulus ſiue dogma fidei, ita vt quiſquis hoc neget ſit Hæreticus, ſed huius dogmatis non eſt Iudex ſola ſcriptura ſacra; Ergo ſcriptura non eſt Iudex omnium articulorum ſeu dogmatum fidei.

Ad quod argumentum cum noſtri abſque intermiſſione vrgerent Aduerſarium, vt in forma ad ſingulas propoſitiones reſponderet, concedendo, negando, diſtinguendo, ideoque etiam, iuſſu Sereniſſimorum Principum, leges prælectæ fuerint, quibus ad formam reſpondendum eſſe doceretur, fruſtra tamen tentata ſunt omnia. Facilius enim ex pumice aquam, quàm ex Hunnio reſponſionem diſertam ad propoſitum illud argumentum elicuiſſes, cùm varia interim effutiret, abſurdè quidem omnia, quædam vero etiam contra ſuamet pronunciata, contra conſcientiam, contra apertam veritatem.

Talia ſunt iſta: Euangelium Matthæi eſſe Matthæi & Canonicũ, demonſtrari ex primo capite Ezechiel. & Apoc. 4. de quatuor animalibus, quaſi verò hoc ipſo quòd probabiliter vtcunq; ex illis locis colligitur, eſſe quatuor Euangelia, ſtatim conſtet hoc ipſum, quod Matthæi, Lucæ, Ioannis; &c. vocatur eſſe vnum ex illis quatuor Euangeliis per figuram quatuor animalium in Ezechiele & Apocalyp. deſignatis. Huiuſmodi etiam hoc eſt, quod Hunnius aſſeruit, ex ipſa inſcriptione poſſe colligi, Euangelium Matthæi eſſe Matthæi, quaſi verò non alia quoque pſeudoëuangelia Apoſtolorum nomen præferant. Item hæc eiuſdem ſubtilis diſtinctio, quòd hæc Eccleſiæ teſtificatio non ſcripta de libris

K Cano-

Digitized by Google

Quid igitur penitus ne obmutuerunt? Nequaquam, ſed ita locuti ſunt,vt vel eis quoque ipſis conſultius fuiſſet,tacuiſſe.Statim enim Hunnius ſuam tergiuerſandi libidinem prodidit, & cùm ad propoſitum reſpondere nihil poſſet, cauſam aſſignauit,quare Hæretici ad ſcripturas prouocent,nempe vt ſuos errores tegant; ineptè demum addidit, eſſe fallaciam cauſarum & accidentis in eo ſyllogiſmo commiſſam, ſed quid ita, mi Hunni?in qua propoſitione, quo termino, quo nexu tam vana ſophiſmata inſunt,quæ fallacia hic accidentis, vbi omnes propoſitionũ termini planiſſimi, & nec ſecundum ſenſum,nec ſecundum terminationem in adductis ſyllogiſmi propoſitionibus variati. Quæ hic fallacia cauſæ ſubſit,vbi de facto ſolum ipſo, nihil de cauſa facti agebatur?Ediſſere parabolam Hunni; & velut nouum logicæ Doctorem te pronunciabo.Nihil de cauſa prouocationis controuertimus: Admitto,quod dicis, prouocare Hæreticos ad ſcripturam,vt ſuos inde errores tegant: ſed ob hoc ipſum aio,per ſcripturam ſolam eos ſufficienter non damnari, vt argumentum concludebat. Quia nemo prouocat ad illum Iudicem, à quo ſufficienter damnatur, nec ea quidem de cauſa,vt ſuos ita errores tegat,&c.

Addidit deſperabundus Hunnius, præter figmentum illud, quod nullum à nobis argumentum hactenus ex ſcriptura fuerit productum, de quo etiam infra ſuo loco; cum ad Syllogiſmum propoſitum reſpondere non poſſet: *Ego*,inquit,*tuum Syllogiſmum meo,tanquam cuneo euerto.*Sed videamus cuneum,*Phariſæi*, inquit, *etiam prouocabant ad ſcripturam Moyſis, & nunquid tamen à Moyſe ſufficienter nõ erant condemnati?* Acutum ſanè cuneum tali capite dignum. Quid enim? totus hic cuneus admiſſus eſt abſque nocumento, nimirum quod Phariſæi per ſola ſcripta Moyſis,omni alia authoritate excluſa, non ſint ſufficienter tanquam per Iudicem condemnati. Nam & ipſe Chriſtus, Ioann.15.apertè dixit: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis peccatum non haberent,&c.* Item, *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,&c,* Itaque incredulitas Phariſæorum per Chriſtum viuentem & præſentem iudicem,non per ſcripta Moyſis ſufficienter condemnata eſt. Nec illud obſtat, quod aliquando Moyſes in ſcriptura dicatur Iudex. Iam enim aliâs reſponſum eſt,impropriam quidem hanc,ſed vſitatam tamen eſſe loquutionem, ſicut cum à Iuriſtis Iudex dicitur Iuſtinianus Imperator.

Digitized by Google

Ad hoc argumentum, cùm negare non poſſent Aduerſarij, Apoſtolum eo loco de traditionibus non ſcriptis loqui, varia extra propoſitum declamitando dixerunt, vt quòd videlicet non loquatur illic Apoſtolus de tota ſcriptura, ſed de vnica epiſtola; quòd non valeat argumentatio ab vna ſcripturæ parte ad totam ſcripturam; quòd non omnia tunc Apoſtolorum ſcripta extarent &c. ſed hæc nihil ad rem faciebant, nihil ad propoſitum argumentum. Vrgebamus igitur reſponſionem ad formam. Sed fruſtrà. ſepties, aut ſæpius, poſt multam declamitationem Hunnij petitum; ſed nihil impetratum, vt ex Protocollo videre licet. Quam ob cauſam etiam in argumento vlterius procedi non potuit.

Quia verò dixerat Hunnius, ex illa ipſa epiſtola contrarium colligi, quòd videlicet nullæ traditiones extra ſcripturã ſint admittendæ, quandoquidem Apoſtolus eodem loco monet Theſſalonicenſes, *vt non cito moueantur à ſuo ſenſu, neq; terreantur, neque per ſermonem, neq; per epiſtolam, tanquam per Apoſtolos miſſam.* &c. apertè vanitas huius obiectionis à nobis detecta eſt, & demonſtratum, Apoſtolum illic non magis reijcere traditiones non ſcriptas, quàm ſcripturã, cùm ſuppoſititias tantùm, tàm traditiones, quàm ſcripturas reijciendas doceat. Ex quo proindè ineptiſſimè colligitur, omnes omninò traditiones non ſcriptas eſſe reijciendas. Quin etiam ex illo ipſo loco, vbi traditiones quaſdam non ſcriptas taxat Apoſtolus, oſtenſum eſt, eſſe aliquam traditionem non ſcriptã admittendam; de tempore nimirũ venturi Antichriſti, & in ſpecie quidem, quòd Antichriſtus venturus ſit, poſt defectum Romani Imperij, vt ex illis quidem verbis Apoſtoli tradunt & colligunt ſancti Patres, ſed citra traditionem à nemine euidenter colligeretur.

Hanc occaſionem minimè prætermittendam ratus Aduerſarius, mox in Romanum Pontificem impetum facere, eumq; palàm per inſignem iniuriam; (de qua etiam Seſſ. 13. à Sereniſſimo Duce publicè notatus eſt) illum ipſum Antichriſtum, qui per Apoſtolum deſignatus eſt, proclamitare auſus fuit. Quod ipſum tanquam fidei articulum, ab omnibus hoc tempore credendum eſſe, impudentiſſimè aſſerebat. Sed cum vrgerent noſtri, non poſſe ex vlla ſcriptura euidenter deduci hunc de Antichriſto iam præſentē articulum; & conſequenter, ſi is ex fide credendus eſt, admitti aliquod dogma fidei neceſſariò credendum, quod in ſcriptura clarè expreſſum non ſit: non erubuerunt dicere, tam Hunnius, quàm Hailbronnerus; euidenter ex ſcripturis, poſt impleta iam ipſo euentu vaticinia, ſciri, aduenisſe Antichriſtum; quem ſummum eſſe con-

Digitized by Google

tendunt Pontificem. Atqui tantùm abeſt, id ex ſcripturis demonſtrari poſſe,vt ex ijs falſum manifeſtiſſimè redarguatur;quod facilè oſtendiſſet noſtri, nî ſatius judicaſſent,in quæſtione, quam confirmandam ex inſtituto ſuſceperant, progredi; quàm ad alienam, obiter & ſine probatione aſſertam,deflectere,eiq;diutius imorari: attamen obiter itidẽ vnũ alterumuè ſcripturæ locum huic vaniſſimo de Pontifice Antichriſto comẽnto oppoſuimus,quid verò ad ea ab Aduerſarijs reſponſum ſit,referemus dũ ſimul paucis, quanta hæc in orbẽ Chriſtianum ſit calumnia, perſtringimus.

Si Romani Pontifices Antichriſtus ſunt;errarunt primò & ſcripturas non intellexerunt omnes veteres,viri tam ſcientia,quàm ſpiritu Dei pleni; qui Antichriſtum vnam ſingularem perſonam futurum, aliaq; de eo multa tradunt;quæ in Pontifices nõ conuenire,euidens eſt.Neq; id diffitentur Aduerſarij, ſed Patres excuſandos dicunt; qui modeſtiſſimè loquuntur.quod ipſum tamen arrogantiſſimè dictũ eſt. *Venia danda eſt Patribus*, ſcripſit olim Hunnius in articulo de Eccleſia, fol. 406. *quod, cum illorũ ætate vaticinia illa eſſent adhuc obſignata & clauſa,& Antichriſtus nondum planè in apertũ erupiſſet; eum minus agnouerunt*. Et fol. 440. *Patrũ ſanè hac in parte errorem & ignorantiam excuſat ipſa ratio temporis.* At inſolentiam veſtram, qua vos tantis viris oculatiores prædicatis, nulla excuſat ratio.

Secundò,ſi Romanus Pontifex Antichriſtus eſt, iamq; (vt dicunt) à mille annis fuit, Antichriſti operâ, Chriſtum edocti ſunt, Francones, Saxones,cæteri Germani,Poloni,Dani,Morani,Bohemi,Vngari, & noſtro æuo Indi,Iapones &c. quos,Romanæ Eccleſiæ Sacerdotum labore & ſtudio, in Chriſtum credidiſſe, nec Sectarij negauerint. Talianè faciat Antichriſtus? de quo ſcribit Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. *quod extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*; ſeu, vt vaticinatur Daniel, cap. 11. *Deum patrum ſuorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit.* Et friuolum nimis eſt, ac futile gloſſema Hunnij, dum inſtat; ſine abſurdo ita intelligi non poſſe has ſcripturas, quaſi Antichriſtus ſit ſe Deo ſuperiorem prædicaturus, alioquin ne vnum quidem Diſcipulum,aut ſibi aſſentientem, in tam manifeſta impietate,habiturum; ſenſum ergò eſſe, Antichriſtum mandata ſua Dei præceptis antelaturum, quod faciat Pontifex. Sed vt prætereamus hoc calumnioſum mendacium,Pontificem decreta ſua diuinis præferre legibus,cur quæſo incredibile ſit,fore,vt Antichriſtus ſe pro Deo prædicet? cur inquam judicetur

tur incredibile, quod toties factum; quodque futurum, tam clarè prænunciant ſcripturæ, & SS. Patres ſenſerunt vnanimiter? *Jlle veniet*, inquit de Antichriſto S. Irenæus lib. 5. cap. 25. *idola quidem ſeponens, ad ſuadendum quod ipſe ſit Deus; ſe autem extollens vnum idolum.* At inſanum reputabunt omnes, ſi mortalis homo Deo ſe anteponat; vel ſpreto vero Deo, ſeſe Deum compellet? quid? an, non dico hominibus, ſed ſerpenti, boui &c. integræ etiam nationes ſummi Numinis honorem tranſcripſerunt? An non Chaldæi ſtatuam adorarunt Nabuchodonoſoris qui de ſe dicebat, quis eſt Deus qui eripiet vos de manu mea? Daniel. 3. An non diuinitatem ſibi arrogauit Simon Magus; à multis etiam, vt teſtatur S. Irenæus lib. 1. cap. 20. pro Deo glorificatus? Simili igitur modo Antichriſtum tùm regia potentia, tùm magicis præſtigijs multos ad ſe diuino honore colendum pellecturos, quare adeò habeatur impoſſibile, vt contra tam claras negetur ſcripturas?

Tertiò, ſi Pontifices Antichriſtus ſunt; per Antichriſtum Romanum Imperium acceperunt Franci (quod iam dudum in articulo de Eccleſia, folio 393. expreſsè ſcripſit Hunnius) & poſteà Germani, laudatiſſimi Imperatores; Antichriſtus Imperatoris eligendi authoritatem tribuit Germanis Prinicibus, Idololatras & Antichriſti proſtibula, nullos vnquam verè Chriſtianos Principes ac Imperatores ante Lutherum habuit Germania. Qua fronte hæc, ô Patriæ peſtes, ſacri Romani Imperij Principibus ingeritis? quæ vos, obſecro tam inſanos reddunt literæ? ſacræ non; tam ex his ſiquidem, quàm ex SS. Patrum ſcriptis diſcimus, prius Antichriſti regnum non diffundendum, quàm Imperij Romani diſſoluatur monarchia, diſſoluatur inquam, non debilitetur tantùm, vt nobis reſpondit Hunnius: *donec è medio fiat*, inquit S. Paulus 2. Theſſal. 2. & eidem phraſi inſiſtens, os aureum Chryſoſtomus homil. 4. in 2. Theſſal. *Quando Romanum Imperium de medio fuerit ſublatum, tunc ille* (Antichriſtus) *veniet. Et meritò. Quandiu enim fuerit metus huius Jmperij, nemo citò ſubijcietur. Quando autem hoc fuerit euerſum, vacans inuadet imperium, hominumque & Dei Imperium aggredietur rapere, &c.* Et tu os impudens Hunni, tuique ſimiles, Antichriſtum proclamatis Romanos Pontifices, quorum operâ & miniſterio Deus Imperium Romanum conſeruauit, delectis Imperatoribus, qui rerum geſtarum gloria cum celeberrimis quibuſque veterum Imperatorum conferri poſſent.

Sed

Sed obijcit Hunnius, Imperium Romanum ad finem mundi vſque, ſecundum Danielis Prophetiam, duraturum; adeoq; non eius interitum ſed imminutionem potius, ſeu inclinationem præceſſuram Antichriſti tempora. Verùm falſum eſt, Danielem dicere, Romanorum regnũ, quòd per quartam beſtiam Danielis 7. deſignatur, ad mundi finem permanſurum; imò contrarium apertè ſignificat, dum meminit *decem quartæ beſtiæ cornuum*, quæ præfigurant decem reges, deſtructo Romano Imperio, futuros (vt omnes ſcriptores Eccleſiaſticos interpretari, teſtatur in Commentarijs ſuper Danielem, S. Hieronymus) poſt quos adhuc *& alius*, inquit Daniel, *conſurget, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit; & ſermones contra Excelſum loquetur, & Sanctos Altiſſimi conteret* &c. Vbi verus deſcribitur Antichriſtus, poſt Romanum Imperium regnaturus.

Nec refert quod quatuor ſolummodò beſtias viderit Daniel, earumq; vltima ſignificet Romanorum regnum: quia id poſtremum quidem erit inter regna, quæ longiore tempore, & plurium regum ſucceſſione floreant ac celebrentur; poſt cuius tamen ruinam regnabit Antichriſtus; qui vnicus, Tyrannus potius, quàm rex erit, breuiſſimo imperaturus tempore, adeoq; quintæ Monarchiæ nomine minimè dignandus, & conſequenter nec quintæ beſtiæ myſterio deſignandus.

Sed hæc ſatis de quæſtione, in quam, vt dictum eſt, præter inſtitutũ, ſola Aduerſariorum calumniandi impotentia, deuenimus. Moneo tantùm, vt etiam in Colloquio monui, prudentius primos veſtræ ſectæ magiſtros diſſimulaſſe hoc, in vniuerſum Romanum Imperium tam iniurioſum dogma, ſeu potius paradoxum; quod ſi Carolo Imperatori in Confeſſione Auguſtana obtuliſſent, facilè tanquam Imperij proditores & hoſtes proſcripti eſſent: Vos verò qui palàm iam & publicè hæc docetis & diſſeminatis, quale Minerual ab Imperatore, Imperij Electoribus, cæteriſq; Principibus mereamini, vos ipſi exputabitis.

CAPVT SEXTVM.

DE ARGVMENTO SECVNdo Catholicorũ, quòd ſcriptura non ſit norma &c. cum Reſponſis Aduerſariorum.

ARGVMENTVM hoc Seſſ. II. productum tale erat. Si ſunt quædam fidei dogmata, neceſſariò fidelibus credenda, quæ nec in ſcriptura

Digitized by Google

ſcriptura aperte extant, nec ex ea ſola euidenter deducuntur, tunc ſanè ſcriptura non eſt vnica norma omnium controuerſiarum Religionis; ſed verum eſt Antecedens: ergo & conſequens. Minor propoſitio probata eſt primò exemplo traditionis ſuperius adductæ, quod videlicet ſit aliqua ſcriptura Canonica, quod Euangelium S. Matthæi ſit verbũ Dei, &c. Quã vel ideo etiam denuò aduerſariis obiicere placuit, quod antea tam inconſtanter & obſcurè ad eam reſponſum fuiſſet.

Sed nec iam quidem aliquid impetratum eſt. Reſponſum enim non minus inconſtanter & timidè. Primo non ex ſola teſtificatione Eccleſiæ, ſed etiam ex internis critiriis agnoſci libros Canonicos. Sed hoc nihil ad rem faciebat. Satis enim erat ad vim propoſiti argumenti, quod ex ſola quidem ſcriptura id minime cognoſceretur, vt conceſſerant.

Secundò rurſus apertè tandẽ profeſſi ſunt, quod ſuperius ſignificauerant, videlicet non eſſe aliquod dogma, vel articulum fidei, quod Euangelium Matthæi, V.g. ſit Canonicum, ſed id ſolum, hiſtoricam quandam eſſe traditionem, & fide ſolum hiſtorica credi. Quod cum permirũ noſtris reſponſum videretur, nec procul abeſſe vel ab ipſa Ethnicorum impietate, ſerio conſtanterque ab Aduerſariis poſtularunt, vt diſertè ad hanc quæſtionem reſponderet: Annè fide diuina & infallibili; & quidem eadem ipſa, qua SS. Trinitatis aut Incarnationis myſterium credimus, credendum eſſe fateantur, quod Euangelium S. Matthæi ſit canonicum, & verbum Dei.

Hic cum animaduerterent, pronunciatum illud ſumum malam ſibi in auditorum animis conciliare poſſe exiſtimationem, neque tamen aperte retractare poſſent, reſponderunt ſe non negare, credendum eſſe fide diuina & infallibili, & quidem eadem, qua credimus Trinitatis & incarnationis myſteriũ, Euangeliũ S. Matthæi eſſe Canonicũ, &c. ſed hoc ſolùm à ſe negari, quod id ſit *articulus* quidam & *dogma* fidei Chriſtianæ, & *pars verbi diuini*.

Huic reſponſo tametſi acquieſcere potuiſſemus, atque inde contra Aduerſarios victoriam & triumphum canere; vtpote qui in ſua prima theſi diſertè aſſeruerãt, ſcripturam eſſe vnicam normam doctrinæ, cultus ac fidei Chriſtianæ: nihilominus tamen, quia Aduerſarii ſimul negabant eam traditionem eſſe aut *articulum*, aut *dogma fidei*, aut *partem verbi diuini*, ſuſpicabantur noſtri, aut non ſerio, aut certe alio ſenſu, quam verba præſeferebant, illud ab Aduerſariis eſſe prolatũ, neq; vlla ſuſpicio eſſe poterat, quòd de nomine ſolum Aduerſarii contenderent.

Digitized by Google

Quocirca rurſus eorum animum hac quæſtione pertentare placuit; anne admittant hæreticum eſſe eum, qui neget Euangelium Matthæi V.g. eſſe verbum Dei, vt & qui aliam, quamuis minimam particulā ſeu articulum fidei, tametſi non omnibus ſcitu abſolutè neceſſariā pertinaciter neget, vt V. g. quod fons proceſſerit ex medio paradiſi. Geneſ.2. quod Tobias habuerit canem, Tob. 8. & alios eiuſmodi ſexcentos. Et cū omninò aſſeruiſſent, vt par erat, eum qui vel minimā particulam verbi diuini neget, eſſe hæreticum, hoc eis argumentū oppoſitum eſt, vt intelligeretur palàm, quidnā dogmatis, aut articuli nomine ſignificarent Aduerſarii. Qui negat articulū ſeu dogma aliquod fidei, is ſolū eſt hæreticus; Sed hæreticus eſt, qui negat Tobiā habuiſſe canem aut Euangeliū S. Matthæi eſſe canonicum, &c. ergo ſequitur eſſe articulū ſeu dogma fidei, quod Tobias canem habuerit, aut quod Euangelium Matthæi ſit canonicum.

Sed hoc argumento ita conterritus Hunnius: tanquā ſi ipſum Tobiæ canem iam ſuis pedibus inſiſtentem, & vulnera morſu infigentē ſentiret, nihil ad propoſitū argumentū aptè reſpondere potuit. Sed audiamus tamē reſponſionē. Ad maiorem propoſitionē *diſtinguo* aiebat Hunnius, *Nō nego, Ille ſanè hæreticus eſt, qui negat articulū fidei, ſed non ille ſolum, ſed is etiam hæreticus eſt, qui negat aliquam hiſtoriam verbo Dei comprehenſam*, &c. & cum denuo rogaretur, anne ergo negaret propoſitionem illam, in qua aperte dicebatur, illū ſolum eſſe hæreticum, qui negaret articulum fidei, rurſus reſpondit, ſe non negare, ſed diſtinguere vt antea.

Quo dicto cum Hunnius tàm apertè demonſtraſſet, ſe nec ſcire quidem, quid ſit diſtinguere, quid negare, fateor, continere me non potui, quin hunc infœlicem Dialecticum ad Dominū Schram, Prædicantē Neoburgicū, qui tum etiam præſens aderat, & fortè Dialecticam ſcripſerat, amandarē, vt Hunnius vel à ſuo Symiſta Dialecticam diſceret. Neque tunc vlterius in argumento, cum tempus elapſum eſſet, procedi potuit. Satis interim quàm ineptè non ſolum ſentiant, ſed etiam loquantur Aduerſarii, ex dictis colligi poteſt.

Nam quid obſecro ſibi volunt Aduerſarii, cum dicunt traditionem illam ſeu teſtificationem de libris canonicis eſſe fide diuina & infallibili credendam, & tamen nō eſſe articulū, aut dogma fidei, nec partem verbi diuini? Licet enim aliquando articulus fidei ſtrictè accipiatur, pro membro quaſi quodam integro, & capite fidei, ſæpe tamen etiam generatim accipi conſtat, pro omni eo, quod infallibili & diuina fide credendū eſt:

qui

qua ratione etiam Iſidorus definiuit articulum; *eſt perceptio diuinæ veritatis, tendens in ipſam.*

Neque de voce articuli multum cum eis diſputatum fuiſſet, ſi non aliunde colligi potuiſſet, eos latius articuli nomen accipere. Sed quando ſimul negarunt, eſſe dogma fidei, eſſe partem verbi diuini, aſſerentes, tanquam traditionem hiſtoricam, hiſtorica ſolum fide credendam eſſe, certè exiſtimari aliter non potuit, quam articuli vocem non ita ſtrictè, ſed latius ab eis accipi; cum profectò alioquin negari minimè poſſit, eã traditionem eſſe partem verbi diuini.

Aut enim illa traditio, de libris canonicis, eſt à Deo reuelata Eccleſiæ, aut non eſt: Si eſt reuelata, erit profectò pars quædam verbi diuini, ſeu quod idem eſt diuinitus reuelati; ſi non eſt, nec fide quidem diuina & infallibili credenda erit, vt tamen credendam eſſe dixerant Aduerſarii.

Demùm quid ad inſtitutum faciebat, vocem articuli ita ſtrictè vſurpare, pro præcipuo quodam duntaxat fidei capite: quaſi vero inter nos controuerſia ſolum ſit, vtrum ſcriptura ſit norma omnium articulorum, qui in Symbolo continentur, aut aliorum eiuſmodi præcipuorum capitum fidei, ſi enim hoc ita eſt, fateantur ipſi, quæſo ſi lubet, multa fide infallibili & diuina eſſe credenda, quæ in ſcriptura ſola non contineantur, nec ex ea ſola euidenter deducantur; & tunc nihil cum illis amplius magnoperè contendemus, fateantur, inquam, purgatorium; fateantur inuocationem ſanctorum, cultum imaginum, transſubſtantiationem in Euchariſtia, communionem ſub vna tantum ſpecie, peregrinationes ad Baſilicas Sanctorum, adorationem corporis Chriſti in Euchariſtia, eiuſque honori dicatam ſolennitatem, & ſimilia multa, quæ Catholici credunt, aut obſeruant, fateantur inquam fide diuina & infallibili, & quidem eadem illa, qua credimus Trinitatis aut Incarnationis myſterium neceſſario eſſe credenda, & obſeruanda, & illos non multum vrgebimus, vt eiuſmodi Catholicæ doctrinæ partes fateantur eſſe peculiares articulos fidei, & præcipua quædem fidei capita; ſi quidem de nomine ſolùm contentio eſt.

Quod ſi hoc vt res eſt, nunquam ipſi fatebuntur, quid obſecro ad propoſitum faciebat, dicere eſſe de articulis ſolùm & dogmatibus fidei controuerſiam, ac proinde licet aliquid diuina fide credendum ſit, quod ſcriptum non eſt, manere tamen ſcripturam normam omnium controuerſiarum concernentiũ articulos aut dogmata fidei. *Sed hæ ſunt argutiæ & ſubtilitates hæreticorum, ſimplicitatem communium verborum torquen-*

tes in quaſtionem; vt iam olim rectiſſimè ſcripſit Tertul. lib. aduerſ. Hermogenem. Et certè apertiſſimum eſt, homines iſtos nihil aliud ſpectaſſe, quã vt verbis turpiter ludendo, fucum facerent Auditorib. quorum etiam aures vt ſuauiter delectarent, cauda canis Tobiæ ſæpius mulſerunt.

Neque defuerunt ex Nouellantibus aliqui, qui pro ſummo abſurdo de me palam euulgarunt; quod dixerim hæreticum eſſe eum, qui pertinaciter neget, Tobiam canem habuiſſe, vtpote qui hac ratione plures quàm duodecim articulos fidei conſtituam. &c. Quaſi vero fidelis & Chriſtianus eſſe poſſit, qui vel minimam fidei veritatem à Deo reuelatã, pertinaciter neget; quaſi verò multum interſit, an quis Deum in paruis, an in magnis rebus mendacem faciat; Quaſi verò abſurdum ſit, plures quàm duodecim articulos fidei numerare, cum viri, vtique Prædicantibus omnib. doctiores, eorumque articulis & dogmatibus antiquiores, in ipſo ſymbolo Apoſtolico quatuordecim articulos fidei numerẽt. Quaſi vero non ipſemet eorũ Magiſter Hunnius apertè, vi veritatis coactus, admiſerit Hæreticum eſſe, qui neget Tobiam habuiſſe canem. Quaſi verò non idem Hunnius decimum tertium articulum fidei; non ſolum extra ſymbolum, ſed etiam extra, imò contra verbum Dei, condiderit, dum imprudenter aſſeruit articulum fidei eſſe, quod Pontifex Romanus ſit Antichriſtus, &c. Sed gen⁹ hoc hominũ nec benè ſentire, nec benè loqui didicit, & cum ignorent quid fides, quid fidelis, quid infidelis, quid hæreticus ſit, ſeipſos tamen pro fidei cenſoribus venditant. Quòd ſi talibus pro cane Tobiæ, aſinam Balaam produxiſſem, fortaſſe melius ab ea loqui didiciſſent.

CAPVT SEPTIMVM.

DE APPENDICE ARGVMENTI ſecundi Catholicorum, quod ſcriptura non ſit vnica norma fidei, cum reſponſionibus Aduerſariorum.

CVm ergo iam vno exemplo demonſtratũ fuiſſet, eſſe aliquid fide diuina credendũ, quod tamen ex ſola ſcriptura ſufficienter non colligatur, ac proinde ſcripturam non eſſe vnicam normam controuerſiarum fidei, duo alia exempla producta ſunt, Seſſione duodecima. Primum de baptiſmo paruulorum.

Credi-

Digitized by Google

Credimus enim fide diuina & infallibili, cõtra Anabaptiſtas, infantes baptizandos eſſe, quod tamen ex ſola ſcriptura, ſepoſita infallibili Eccleſiæ authoritate, euidenter colligi non poteſt. Hoc verò cùm negaſſent Aduerſarij, varios ſcripturæ locos produxerunt, ex quibus pædobaptiſmũ euidenter demonſtrari poſſe, aiebant. Primò illud Matth. 28. quando Apoſtoli *omnes gentes baptiƷare* juſſi ſunt, ſecundò illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ Dei.* Tertiò illud Act. 16. vbi integra familia baptizata legitur, vt & 1. Cor. 1. Quartò id probare conati ſunt ex analogia circumciſionis & baptiſmi cuius mentionem facit Apoſtolus Coloſſ. 2. Adiecerunt quoque ſanctos Patres ſuæ ſententiæ adſtipulari, præſertim Auguſtinum.

Sed reſponſum eſt, tametſi quidem rectè & probabiliter colligi poſſit, ex eiuſmodi locis, pædobaptiſmus, euidenter tamen, ſepoſita infallibili Eccleſiæ authoritate, colligi non poſſe, cùm nullus locus apertè de baptiſmo paruulorum loquatur. Ad primum enim aliquis Anabaptiſta facilè reſponderet; illic de adultis ſolùm fieri mentionem, eò quòd ibidem agatur duntaxat de ijs, qui ſimul credere & doceri poſſint. Ita enim ſonant verba loci illius: *Euntes docete omnes gentes baptiƷantes eos* &c. *docentes eos ſeruare omnia.* &c. cùm ergo paruuli nec credere, nec doceri poſſint, pædobaptiſmum ex hoc loco colligi non poſſe.

Ad ſecundum ſimiliter quoq; Anabaptiſta reſponderet, vniuerſalem illam & indeterminatam propoſitionem Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. limitandam eſſe juxta alias ſcripturæ ſententias, præſertim locum illum ſupra citatum Matth. 28. quemadmodum limitari debet ſimilis locus Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis* &c. quem tametſi quidem Aduerſarij de manducatione ſolum ſpirituali intelligant, Catholici tamẽ, poſt SS. Patres, etiam de corporali manducatione interpretantur.

Ad tertium facilè reſponderi poteſt, nullam ibi fieri mentionem paruulorum, neq; verò neceſſariò in omni familia paruulos eſſe debere, nec ſi ſint, familiæ nomine, neceſſario comprehendi.

Ad quartum analogiam quidem aliquam eſſe inter circumciſionem & baptiſmum, ſed non quoad omnia, aliàs enim non, niſi octauo die, paruuli baptizari deberent, fæmellæ autem nec octauo quidẽ die. Neq; verò vſpiam ſcripturã explicare, quòd in hoc determinate conſiſtat illa analogia inter circumciſionem & baptiſmum, quòd quemadmodum infantes veteris teſtamenti ſunt circumciſi, ita quoq; in nouo teſtamen-

Digitized by Google

to debeant baptizari: quin potius eodem illo loco Apoſtolum quando circumciſionem cum baptiſmo confert, loqui de baptiſmo adultorum.

Sanctos verò Patres & imprimis S. Auguſtinum eorum ſententiæ apertè aduerſari, cùm pædobaptiſmum habeant pro traditione nō ſcripta:&c.Ita enim docere S.Auguſtin. lib. 10. de Geneſi ad literam cap. 23. *Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquā ſpernenda, neq; vllo modo ſuperflua deputanda, nec omninò credenda eſt, niſi Apoſtolica eſſet traditio.* Idem quoq; aſſerere Origenem in cap. 6. epiſt. Rom. *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem accepit, etiam paruulis baptiſmum dare.* Et certè de traditione quadam non ſcripta eos, loqui, verba & contextus demonſtrant: quicquid Aduerſarij dixerint, de traditione ſcripta ſermonem eſſe.

Sed neque ſic tacuerunt Aduerſarij. Ad primum enim dicebant, imò paruulos etiam credere, probari ex aperto loco Matth. 28. & licet doceri non poſſint, fieri tamen poſſe Chriſti diſcipulos per baptiſmum, in græco verò haberi μαθητεύσατε quòd propriè ſignificet *facite diſcipulos*, non docete.

Sed responderunt noſtri quoad primum, hoc non eſſe euidenter pædobaptiſmum ex ſcriptura probare, ſed nouum potius paradoxum cudere, & quiddam euidenter falſum extruere, cùm nihil minus ex ſcriptura colligi poſſit, quam quòd infantes credant, & alioqui repugnare experientiam, locum autem illum Matth. 28. loqui de paruulis, qui ſcandalizari poſſint, atque adeò iam rationis vſum habeant, vt ex textu patet, non de infantibus. Quoad ſecundum reſponderunt noſtri (præterquam quòd nemo fiat diſcipulus, niſi qui docetur) etiam infra ſtatim haberi verbum græcum διδάσκοντες, quod quidem ad eoſdem referatur, qui baptizandi eſſe dicebantur.

Contra ſecundam reſponſionem vrſerunt Aduerſarij propoſitionem illam (*Niſi quis renatus* &c.) vniuerſalem eſſe, ac ſimul ſignificari, omnem qui ex carne natus eſt, regeneratione indigere, cùm etiam Matth. 18. dicatur: *Non eſt voluntas patris, vt pereat vnus de puſillis iſtis* &c.

Sed reſponſum eſt à noſtris, non ideò colligi poſſe euidenter, quemlibet tàm infantem, quàm adultum, non niſi per talem determinatum modum regenerari debere, cùm præſertim Hunnius iam aliàs aſſeruerit, paruulos in neceſſitate etiam ſine baptiſmo ſaluari.

Contra tertiam noſtrorum reſponſionem obiecerunt Aduerſarij

Digitized by Google

rij, hoc ipſo quòd ſibi contrarium non dicatur, procedere argumentum, atque adeò euidenter colligi, quòd paruuli quoque in illis familijs ſint baptizati: quam egregiam argumentationem Auditoribus dijudicandā reliquimus.

Contra quartā, rurſus vrgebant analogiam, ſed nihil noui prolatū, ſicut nec contra has noſtrorum reſponſiones quicquam quod alicuius momenti eſſet; amplius afferri potuit, niſi quòd Hunnius, ad probandum illud paradoxum quòd infantes credant, obiecit quoque locum illum Hebr. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Vbi etiam judicandi omnes in duas claſſes diuidantur, primam quidem credentium & ſaluandorum, alteram non credentium & damnandorum. Obiectum ſecundò exemplum Ioannis Baptiſtæ qui *exultauit* in vtero matris. Sed reſponſum eſt ad primum, infantes habere fidem habitualem non actualem: deinde diſtributionem eiuſmodi judicandorum, fieri aliquando in ſcriptura ſolùm reſpectu adultorum, quod ex eo apertè comprobatum eſt, quòd etiam judicandi aliàs diſtribuantur in duas alias claſſes, primam paſcentium Chriſtum & ſaluandorum, alteram non paſcentium & ideò damnandorum &c. id quod neceſſariò duntaxat de adultis intelligendum eſſe, conſtat. Exemplum autem Ioannis Baptiſtæ extraordinarium eſſe, nemo dubitat. Cùm ergo ab Aduerſarijs præter gloſſas quaſdam ſuas nihil afferri vlterius poſſet, vt etiam noſtri palàm ſignificarunt, ideò ad aliud exemplum proceſſum eſt.

Alterum verò exemplum, in eadem Seſſ. 11. productum, erat de baptiſmo Hæreticorum, quem validum eſſe, ex ſola ſcriptura euidenter probari non poteſt, etſi alioqui validum eſſe nemo Catholicus dubitet. In cuius rei confirmationem, adducta eſt authoritas non ſolum S. Cypriani, qui tantùm abeſt, vt ex ſola ſcriptura, ſepoſita traditione, hoc dogma colligeret, vt etiam, ſepoſita traditione, apertè contrarium ex ea colligere ſibi videretur; ſed etiam Auguſtini, & aliorum SS. Patrum, quorū nullus vnquam dogma hoc ex ſola ſcriptura euidenter demonſtrari poſſe, dicere auſus fuerit. Itaque neminem etiam ſibi citra arrogantiam hoc tribuere poſſe, quod ſancti Patres ſibi tribuere non ſint auſi. Vbi cum reſpondiſſent Aduerſarij, nullius eſſe arrogantiæ, ſcripturæ ſententiam anteponere authoritati SS. Patrum & Eccleſiæ, reſponſum eſt à noſtris, Aduerſarios in hac re non ſcripturæ ſententiam, ſed ſuam propriam phantaſiam & imaginationem SS. Patrum & Eccleſiæ authoritati præferre; id verò abſq; arrogantia fieri non poſſe.

Quaq-

Quandoquidem autem tam magnificè ſe circumſpicere non verebantur, juſſi ſunt ex ſcripturis argumenta promere, quibus euidenter probarent, etiam ſepoſita Eccleſiæ authoritate, baptiſmum ab hæreticis collatū valere, quæ nunc ordine commemorabo. Prima demonſtratio. Alias dubitari poſſet de efficacitate ſacramentorum. Sed reſponſum eſt à noſtris, quantum eſt ex parte quidem ipſius ſacramenti, dubitari ideo minimè debere; ſed quantum eſt ex parte miniſtri, tum ob hanc cauſſam, (ſepoſita Eccleſiæ authoritate) tùm ob alias, & in ſpecie ob defectum intentionis ex parte miniſtri, dubitari poſſe abſurdum non eſſe; falſiſſimū enim eſſe, quod quiuis abſolutam habere debeat certitudinem & euidentiam de hoc, quòd valide ſit baptizatus.

Secunda demonſtratio. Circumciſio à Sephora vxore Moyſis, licet infideli, peracta, valida erat: ergo euidenter ſequitur etiam baptiſmum ab infideli collatum valere: quia videlicet, quoad hoc, eadem plane ſit ratio baptiſmi & circumciſionis. Sed negata eſt conſequentia, quicquid ſit de Antecedente. Maius enim quiddā eſt baptiſmus, quā circumciſio.

Tertia demonſtratio. Atqui Paulus 2. Coloſſ. teſtatur, circumciſioni baptiſmum ſucceſſiſſe: ergo rurſus euidenter ſequitur, quod ſicut circumciſio facta ab infideli valet, ita etiam baptiſmus. Sed negata eſt rurſus conſequentia, quia ſuperius iam demonſtratum fuerat, non eſſe eandem in omnibus rationem baptiſmi & circumciſionis.

Quarta demonſtratio. Galat. 3. dicitur vniuerſaliter *quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: ergo rurſus euidenter ſequitur baptiſmum ab infideli collatum valere. Sed rurſus negata eſt conſequentia, eò quòd locus ille minime declaret, quiſnam baptiſmus valeat, aut non valeat, ſed ſuppoſito baptiſmi valore, eius ſolummodo effectum declaret.

Quinta demonſtratio. *Incredulitas noſtra non euacuat fidem Dei*, hoc eſt promiſſionem, qua Deus humanum genus per Chriſtum ſaluare decreuit: ergo rurſus euidenter ſequitur, valere baptiſmum etiam ab infideli collatum. Sed rurſus negata eſt conſequentia, vtpote vaniſſima.

Sexta demonſtratio. Phariſæi licet hæretici, validè tùm circumciſionem, tùm alia miniſteria ſui officij obibant: ergo rurſus euidenter ſequitur, valere baptiſmum etiam ab infideli collatum. Sed rurſus negata eſt conſequentia.

Vbi ſanè, ſi quam in ſuis argumentis fiduciā habebat Hunnius, probare debebat conſequentias illas, à nobis tam rotundè negatas ſed quia omnibus iam argumentis nudū ſe conſpexit, folia ficus ſuo pudori prætexenda cenſuit, aut potius depoſita cum ipſo pudore fronte, à Notarijs

petiuit

petiuit in Protocollo annotari, quod nihil ad allata argumenta reſponderim, nec reſpondere potuerim; aut in æternum poſſim. Vbi quid tali homini facerem? Reſpondendum erat vtiq; *ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*. Itaque & ego quoque viciſſim, & quidem maiuſculis literis diligenter notari petiui, quod iſte Doctor ſex demonſtrationes, vt ſibi quidem videbatur, ad ſuum inſtitutū confirmandum attulerit, & ſane nullam earū probauerit: Vbi certè eximius ille Doctor pro meritis & dignitate ab omnibus riſu egregiè exceptus eſt.

Sub finem eiuſdem ſeſſionis 12. recitata ſunt quædam teſtimonia pro traditionibus non ſcriptis, ex operibus Auguſtini, quæ cum promiſiſſemus, aliis teſtimoniis Protocollo inſerendis coniuncta, Aduerſariis nos ſuo loco eſſe tradituros, à Notariis excepta non ſunt, nec vt excipi poſſent, dictata ſunt. Et nihilominus tamen vt hoc obiter notem, cum ex Prædicantibus quidam locos ſolummodo citatos raptim annotaſſent, omni ſtudio curarunt Aduerſarii, vt in Protocollo, prout à ſe fuerant annotati, reponerentur: neque ſine admixto errore aliquo, in citatione commiſſo, quem illis tamen facile condono, cum præſertim ex noſtris teſtimoniis ſcripto poſtmodum traditis, & in Protocollum illatis facile rdeargui poſſit.

CAPVT OCTAVVM.

DE ARGVMENTO PRIMO CAtholicornm, quod Eccleſia ſit Iudex omnium controuerſiarum Religionis, cum Reſponſionibus Aduerſariorum.

CVm hactenus ſufficienter probatum fuiſſet, ſcripturam nec Iudicem propriè, nec vnicam regulam eſſe omnium controuerſiarum Religionis, & iam iuxta diſtributionem argumentorum initio factam, ad tertiam claſſem peruentum eſſet, in qua probandum erat, quod Eccleſia vera ſit Iudex controuerſiarum Religionis, abſtrahendo in particulari, quænam ſit vera Eccleſia, &c. ſequens argumentū eſt propoſitū à noſtra parte, ſeſſ. 13. idq; petitū ex illo loco Matth. 18. *ſi peccauerit in te frater tuus, dic Eccleſiæ, &c. ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, in hunc modum: Si omnes controuerſiæ religionis ad Eccleſiæ iudicium deferendæ ſunt, tunc ſanè Eccleſia eſt Iudex omnium controuerſiarum: ſed omninò controuerſiæ religionis omnes

ad Eccleſiæ iudicium deferendæ ſunt ,vt colligitur ex citato loco Ergo Eccleſia eſt Iudex.

Hoc argumento cum teneri ſe viderent Aduerſarii ; varia effugia quæſiuerunt,ſed vana. Et principio quidem Iac. Hailbronner malè vtique ſibi conſcius , ne ſilentio ſuo ſe victum in prioribus ſeſſionibus eſſe tacitè fateretur,ita ſibi conſulendum exiſtimauit : Productas quidem aiebat hactenus fuiſſe;aliquot traditiones,ſed *de quibus tamen nulla eſſet controuerſia.* Hanc igitur hominis impudentiam apertius confundendam ratus,rurſus ab Aduerſariis ſeriò & inſtanter petiui,vt quandoquidem de propoſitis traditionibus nullam controuerſiam eſſe dixerat Hailbronner,abſque tergiuerſatione diſertè & apertè ad hanc quæſtionem reſponderent : Anne omnino aliquas traditiones non ſcriptas diuina & infallabili fide credendas eſſe admitterent ? Et videbantur quidem omninò propoſitæ quæſtioni facilè & ſine mora affirmando ſatisfacturi. Sed planè decepti ſumus ſpe noſtra ; miris enim modis tergiuerſabantur Aduerſarii , nec apertè quicquam reſpondere auſi ſunt. Quocirca, iuſta indignatione motus,eos etiam palàm verſipelles appellaui , apertè ſimul proteſtatus , ab hac quæſtione me ceſſaturum non eſſe , donec ad eam diſertè ſit reſponſum. Hic Hunnius opportunitatem ſe nactum eſſe ratus , vt ſimul & à propoſita quæſtione ſe expediret , & me ſimul probro aliquo oneraret, idcirco me palàm apud Sereniſſimos accuſauit, iniuriam eo nomine ſibi irrogatam conqueſtus : quod verſipelles à me audiiſſent. Sed Sereniſſimus Bauariæ Dux,pro ſua æquitate , cum ſimul eos non immerito titulo inſignitos eſſe animaduerteret, & ſimul iniuriæ ſummo Pontifici (quem Hunnius pridie per ſummam calumniam Antichriſtum appellarat) irrogatæ memor eſſet , his accuſatori verbis reſpondit. *Vos appellaſtis Romanum Pontificem Antichriſtum , quæ eſt iniuria inſignis & clariſſima.* Qua licet æquiſſima ſententia , vehementer exacerbatus Prædicans cum inſolenter reſpondere non eſſet veritus, *oportere ſcapham, appellare ſcapham,ligonem,ligonem,&c.& in ſuis Eccleſiis id non eſſe iniuriam, &c.* Sereniſſimus Bauariæ Dux eandem ſententiam palam , maiore etiam energia,denuò pronunciauit; cum diceret: *Imò eſt inſignis iniuria, quæ redundat in omnes Catholicos.* Qua denuò repetita voce impudens illud os ita obturauit,vt mutire amplius non fuerit auſus. Hæc nimirum Catholici Principis æquiſſima vox erat,qua pariter Catholicos ab iniuria vindicauit , & Prædicantem velut publicum calumniatorem elinguem reddidit.

Et ta-

Digitized by Google

Et tamen auſi ſunt ex hæreticis quidam eundem Sereniſſimum Ducem, velut qui erga ſe, ſuamque fidem dicam, an perfidiam, non peſſimè affici cœperit, palàm traducere, vel eo vaniſſimo indicio commoti, quod antea ſemel ac iterum Hunnio cæterisq; Aduerſariis poſt diſputationē loqui dignatus fuerit. Sed quis vaniſſimæ loquacitati os obſtruat. Quaſi verò, quiſquis Prædicantibus loqui dignatur, eorum errores peſſimè non auerſetur; cum vel ob hoc ipſum Sereniſs. Bauariæ Dux, eis loquutus fuerit, quia eorum garrulitatem, & vanam loquacitatem, ac tergiuerſandi ſtudiū deteſtabatur. Satis enim conſtat ſuam Serenitatē ideò ſolum cum Aduerſariis loquutā eſſe, vt eos ad formā dialecticam in diſputatione ſeruandam, & omittendam dictationem adduceret. Quod ſi ſua Serenitas Hunnium, vt iure poterat, tergiuerſatorem, verſipellem, hæreticum compellaſſet, &c. tum forte maiorem ab his hominibus gratiam reportaſſet. Interim ego illis quidem tales amicos eſſe cupio plurimos; imò & meipſum quoq; in eorum numero cenſeri, qui ſcilicet Prædicantes & errones omnes, vt alioquin homines ſunt ament, errores autem illorum peſſimè oderint.

Porrò ab hoc effugio excluſi Aduerſarii aliud ſibi conquirendū exiſtimarunt; & quia dictū fuerat, per Eccleſiam nos generatim intelligere Prælatos: quicunq; illi ſint, veræ Eccleſiæ, idcircò petebant Aduerſarii à nobis, vt probaremus, per Eccleſiā, eo loco, Matthæū intelligere Prælatos: ſe enim, Eccleſiæ nomine intelligere totā etiam populi communitatē. Sed quia hæc quæſtio nihil ad propoſitum argumentū faciebat, ſed tergiuerſandi ſtudio ſolum excogitata fuerat, reſponſum eſt, nos de hac re iā nihil diſceptare, facileq; admittere, vt quos ipſi vellent Eccleſiæ nomine intelligerēt: ac proinde ſine tergiuerſatione ad propoſitum argumentum reſponderent. Cum autē reſpondiſſent, ſe non negare, quin Eccleſia ſuo modo iudicandi authoritatē habeat, reſtrictam videlicet & limitatā, minimè vero abſolutā; probatū eſt Eccleſiæ neceſſariò tribuendam eſſe poteſtatem iudicandi abſolutam, hoc nempe argumento. Poteſtas abſoluta iudicandi eſt illa, cuius ſententiæ abſolutè ſine vlteriori diſquiſitione & examinatione à partibus ſtandum eſt; quo modo etiam in politia temporali, iudicium ſupremi Magiſtratus vocatur abſolutum, cui nō licet refragari: ſed in dubia aliqua religionis controuerſia Eccleſiæ iudicio abſolutè ſine vlteriori inquiſitione, ſtandum eſt: Ergo poteſtas Eccleſiæ iudicandi eſt abſoluta.

Ad hoc argumentum cum negata eſſet minor propoſitio, & dictū, quod particularib. perſonis adhuc liceat examinare ſententiā Eccleſiæ

Digitized by Google

an ea ſit ſcripturæ conformis, an contraria, illa ſic euidenter probata eſt. Si partes non debent abſolutè ſtare ſententiæ & iudicio Eccleſiæ, tunc nulla vnquam in Eccleſia finiri poterit controuerſia: Sed hoc dictũ eſt abſurdiſſimum: ergo & illud, ex quo ſequitur.

Reſponderunt illi cum diſtinctione, abſurdè quidem aſſeri, quod non poſſint finiri controuerſiæ, quantum eſt ex parte iudicis, non autem dictũ abſurdum eſſe, quod non poſſint finiri controuerſiæ, ob contumaciam partium litigantium: ſemper enim duraturas hæreſes, ex ſcriptura conſtare.

Quod verum quidem eſt, ſed vim propoſiti argumenti roborat, nõ infringit, vtpote quod nihilominus firmiſſimè procedit hac ratione, ſi partibus litigantibus licet latam Eccleſiæ ſententiam adhuc examinare, an ſcripturæ conſentanea ſit, an vero diſſentanea, tunc, etiam ſepoſita contumacia partiũ, nullæ controuerſiæ finiri poterunt: ſed conſequens hoc, etiam ipſorummet Aduerſariorum confeſſione, abſurdiſſimum eſt: ergo & antecedens illud abſurdum eſſe, neceſſe eſt, quod nimirum partibus liceat prolatam Eccleſiæ ſententiam examinare.

Hic cum incredibiliter tergiuerſarentur Aduerſarii, nec ad propoſitum quicquam reſpondere aut poſſent, aut vellent, tametſi vel ſub diuini Nominis obteſtatione rogati, tandem tamen reſponderunt, non ſemper partibus relinqui iudicium ita liberum poſt ſententiam ab Eccleſia latã, ſed quãdo altera quidẽ pars litigãs ſcripturæ teſtimoniis ſufficiẽter ab Eccleſia eſſet cõuicta, tũc ſanè eius ſentẽtiæ acquieſcendũ eſſe.

Sed hunc fumũ duntaxat eſſe & fucum merũ, ita vlterius euidenter demonſtratũ eſt. Quæſitum enim eſt ab Aduerſariis, an iudicium hoc, quod nimirum pars litigans ſit ſufficienter conuicta ex ſcriptura, relinquatur iudicio ipſius partis litigantis, an non. Si enim iudicium hoc relinquitur adhuc partibus, tunc immobile ſtat argumentum, quod videlicet, etiam remota partium contumacia, in Eccleſia finiri nulla poſſit controuerſia; vt argumentum ſumebat. Si vero iudicium hoc partibus non relinquitur: ergo habemus intentum, quod videlicet Eccleſiæ ſententiæ abſolutè à partibus ſtandũ ſit, neq; liceat eã vlterius examinare, ac proinde quod iudiciũ Eccleſiæ ſit abſolutũ; id quod initio erat probãdũ.

Et cum Aduerſarii nihil ſanè amplius reſpondere poſſent ad propoſitũ argumentum, quod profecto omni adamante fortius eſt, declarata res eſt exemplo propter Auditores præſentes, exemplo, inquã, cõtrouerſiæ iã in Eccleſia vigẽtis, de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia.

Digitized by Google

Si enim ita eſt, quòd omnis deciſio Eccleſiæ vlterius poſſit à partibus ad ſcripturæ normam exigi & examinari, tunc ſane Caluiniſta aliquis nunquam poterit de errore ſufficienter conuinci, ita ſcilicet, vt etiam admiſſo judice, qui illi deſignatus eſt, fateri debeat, ſe ab eo damnatum. A quo enim, aut qua ratione ita conuincatur? ab Eccleſia? ſed eius ſententiam, vt dicunt Aduerſarij, licitè poteſt examinare, & ad normam ſcripturæ exigere, omni eius authoritate ſepoſita. A ſcriptura? ſed eam, licet ſæpius lectam & relectam, planè in conſcientia judicat à ſe, non contra ſe ſtare; ſicut etiam re ipſa, ſepoſita Eccleſiæ authoritate, non deerunt ei probabiles rationes, quibus ex ſcriptura ſuum errorem tueatur. Secundum autem veriſſimam Catholicorum ſententiam, hoc ipſo Caluiniſta, aut alius quicunque hæreticus ſufficientiſſimè damnatur, quod Eccleſiæ Catholicæ judicio damnatur, quod ſi reſpuat, iá ex mandato Chriſti Matth. 18. habetur à nobis ſicut ethnicus & publicanus.

Sed Caluiniſta non magis, inquiunt Aduerſarij, noſtri, quàm ſui judicis ſententiæ acquieſcit. Verum non eſt de hoc quæſtio; ſed an Caluiniſta etiam admiſſo, qui illi deſignatur, ſeu noſtro, ſed Aduerſariorũ judice, ſufficienter tam ab hoc, quam ab illo damnetur, ita vt planè tam ab hoc, quam ab illo ſe damnatum eſſe intelligere debeat, & citra contumaciam repugnare veritati non poſſit? Oſtenſum autem eſt euidenter, quòd noſtro quidem judice admiſſo, fateri debeat ſe ab eo ſufficienter damnatum; Aduerſariorum autem judice acceptato, minime. Manet igitur firmum & inconcuſſum, quod niſi alius quiſpiam viuens judex præter ſcripturam deſignetur, nec Caluiniſta, nec alius hæreticus qui ſuum alioqui errorem ex ſcriptura tuetur, ſufficienter vnquam condemnari poſſit, ita ſcilicet, vt citra contumaciam, judicis ſententiam nequeat reijcere. Atq; ita hoc argumentum pariter, et Seſſio 13. concluſa eſt.

CAPVT NONVM.

DE ARGVMENTO SECVNDO Catholicorum, quòd Eccleſia propriè ſit judex controuerſiarum Religionis, non ſcriptura, cum Reſponſionibus Aduerſariorum.

Digitized by Google

ARGVMENTVM ſecundum noſtræ partis, ad Eccleſiaſtici judicij authoritatem comprobandam, erat hoc. Ille eſt judex abſolutus omnium controuerſiarum, qui iam pro præſenti ſtatu, abſolutam & vltimam ſententiam clarè & diſtinctè fert in controuerſijs: ſed Eccleſia nunc & pro præſenti ſtatu, quando aditur, fert vltimam & abſolutam ſententiam clarè & diſtinctè in controuerſijs fidei: ergo Eccleſia eſt abſolutus judex omnium controuerſiarum fidei.

Hic Hunnius pro eximia ſua in Dialecticis peritia, reſpondit, *poſſem*, inquit, *dicere hunc ſyllogiſmum eſſe in ſecunda figura affirmatiuum, & proinde formam eſſe vitioſam, ſibi tamen res potiſſimumn, non formalitates eſſe curæ.* Rectè dixiſti, Hunni, tibi formam diſputandi Dialecticam, parum, aut nihil curæ eſſe, debuiſſes addere, nec cognitam quidem eſſe. Quid enim ais, hunc ſyllogiſmum eſſe in ſecunda figura? atque adeo medium terminũ (*qui clarè & diſtinctè fert vltimam ſententiam*) in maiore prædicari, non ſubijci?

Sed non te pudet tantum Doctorem, tot annos, vt aiunt, in Dialecticis verſatum, nec prima quidem Dialecticæ elementa didiciſſe, vt nempe ſcires quid prima, quid ſecunda figura, quid prædicatum, quid ſubiectum? An non vides in illa prima propoſitione, principale prædicatum eſſe illud (*judex abſolutus*) verba autem illa (*qui clarè & diſtinctè fert vltimam ſententiam*) habere ſe ex parte ſubiecti, & eius velut quandam determinationem & circumſcriptionem eſſe: *ille ſcilicet, qui fert vltimam ſententiam, eſt judex.*

Sed quia videris aut hebeti ingenio eſſe, aut labili memoria, exemplo res tibi rurſus ob oculos ponenda eſt. Dic enim mihi, ô clariſſime Domine D. in hac propoſitione, *Ille eſt homo, qui ridet, ſeu ille, qui ridet, eſt homo*, quodnam obſecro eſt principale prædicatũ, an (*homo*) an vero terminus ille, (*qui ridet?*) Miſerum te ſi adhuc hæſitas, & non intelligis, (*homo*) eſſe prædicatũ, illud autem (*qui ridet*) quicquid ſit de diſpoſitione terminorum, eſſe ſubiectum. Quod ſi in hoc exemplo agnoſcis illud, (*qui ridet*) eſſe ſubiectum, non prædicatum, certe in maiore illa propoſitione pariter fateri debes, illud (*qui fert vltimam ſententiam*) eſſe ſubiectũ, non prædicatum. Quod ſi rem necdum intelligis, timeo certe, ne Dominus Schram, Magiſter tuus in Dialecticis, te docendo, operã & oleũ perdat, & te tandem, tui pertæſus, ex ſua diſciplina, tanquam indocilem, penitus reijciat. Certè quidem ipſius hic ferulam egregiè promeritus es.

Sed iam videamus quàm hic Magiſter in Iſraël, qui formam non

didicit,

Digitized by Google

didicit; aut ſane oblitus eſt, rem egregiè curet. Negauit autem propoſitionem illam minorem; quæ probata eſt ex perpetua praxi totius Eccleſiæ Quia condemnato Ario in Concilio Nicæno, condemnato Macedonio in Concilio Conſtantinopolitano, condemnato Neſtorio in Concilio Epheſino, condemnato Eutychete atque adeo Seuerianis &c. in Concilio Chalcedonenſi, & ſic loquendo de alijs hæreticis, in alijs Concilijs ab Eccleſia damnatis, non ſequebatur aliud judicium in foro huius mundi, neque ſanè concedebatur facultas vlli, multò verò minimè ipſiſmet damnatis hæreticis, latam ab Eccleſia ſententiam retractandi, aut in dubium vocandi. Quin potius Arius in Conſilio Nicæno ſemel damnatus, mox ſine vlteriori diſquiſitione ab Imperatore Conſtantino in exilium eiectus fuit &c. Clarũ eſt ergo, ex perpetua totius Eccleſiæ veteris praxi, Conſiliorum atq; adeò Eccleſiæ ſententiam, in foro quidem huius mundi, fuiſſe vltimam.

Ad quod varia quidem reſponderunt Aduerſarij, ſed ineptè omnia. Primò dicebant ipſamet conſilia debuiſſe reſpicere & attendere ad ſcripturæ normam & regulam. Sed quid tùm? Etiam Imperatores & Reges debent reſpicere leges, & ſecundum leges ſententiam ferre: Et tamen nemo ideò negauerit, ſententiam eorum eſſe vltimam & abſolutam, in foro ciuili.

Secundò ſæpius obijciebat Hunnius, in illo argumento commiſſam eſſe fallaciam cauſſæ non cauſæ, ſed iam alibi demonſtratum eſt, eum neſcire quid ſit fallacia cauſæ non cauſæ: Et quomodo ſciret, qui nec ſcit quidem, quid ſit prædicatum, quid ſit ſubiectum, quid prima figura, quid ſit ſecunda, vt paulò antè demonſtratum eſt, niſi fortè quis dixerit, eum melius in fallacijs ſophiſticis, quàm figuris ſyllogiſticis eſſe verſatum. Sed de hoc quidquid ſit, ex definitione certè ipſius vltimæ & abſolutæ ſententiæ, clarè demonſtratum eſt, Eccleſiæ ſententiam eſſe vltimam & abſolutã: illa videlicet eſt vltima ſententia, poſt quam in foro huius mundi non datur alia; illa verò abſoluta eſt, cui abſolutè, ſine vlteriore examinatione ſtandum eſt: Sed talis eſt Eccleſiæ ſententia in dubijs religionis quæſtionibus, vt ex perpetua Eccleſiæ praxi ſuperius demonſtratum eſt: Ergo Eccleſiæ ſententia eſt vltima & abſoluta: vbi quænam obſecro ineſſet fallacia cauſæ, vbi de cauſa nihil agitur? vbi in optima conſequentia, ſine vlla æquiuocatione terminorum, argumentum proponitur?

Tertiò, ſed non ideò, inquit Hunnius, acquieſcendum erat ſententiæ conſi-

conſiliorum, quia præciſè à conſilijs lata erat, ſed quia ſcripturæ conformis erat. Sed vanum eſſe hoc effugium manifeſtè oſtenſum eſt. Cùm enim judicium hoc deciſiuum, quòd videlicet ſententia à conſilio lata ſit ſcripturæ conſentanea, ſolùm penes conſilium fuerit, neq; id judicio, vel ipſorum Hæreticorum, aut aliorum quorumcunq; diſcutiendū ſit permiſſum, certè clarum & inuiolatum manet, quòd ſententia conſilij fuerit vltima & abſoluta. Itaq; nihil etiam ad hoc argumentum ſolidè vnquam reſponderi potuit. In quo me rurſus, ne longus ſim, ad Protocollum refero.

CAPVT DECIMVM.

DE ARGVMENTO TERTIO Catholicorum, quòd Eccleſia, non ſcriptura, propriè ſit Iudex controuerſiarum religionis, cum reſponſionibus Aduerſariorum.

TERTIVM argumentum, pro authoritate judicij Eccleſiaſtici, deſumptum eſt ex loco Deuter. 17. & alijs locis ſcripturæ, vbi (præterquam quòd hoc alioqui naturali lumine rationis euidens eſt) ſignificatur Iudicem talem eſſe debere, ad quem, in omni controuerſia eius fori, pateat litigantibus acceſſus, hac ratione: Iudex controuerſiarum in aliquo foro talis eſſe debet, ad quem omnes habentes aliquas controuerſias in eo foro, poſſint adire & accedere: atqui multi ſunt in Eccleſia, qui dubia ſeu controuerſias circa fidem habent, & ad Eccleſiam quidem facile, ſed ad ſcripturam accedere ſiue adire non poſſunt. Ergo ſcriptura non eſt Iudex, ſed Eccleſia. Negata minor propoſitio ex eo oſtenſa eſt, Quia ſcriptura catenus ſolùm propriè aditur, quatenus eius ſententia legendo exquiritur. Sed plurimi ſunt in Eccleſia qui ſcripturam legere non poſſunt, multò minus intelligere: Ergo non omnes ſcripturam adire poſſunt.

Reſponſum eſt ab Aduerſarijs, non adiri ſolum eatenus, quatenus legitur, ſed etiam quatenus auditione, meditatione, & orationis medio interueniente percipitur. Sed clare oſtenſum eſt à noſtris, hæc ſufficientia & ordinaria media adeundi ſcripturam, eiuſq; ſententiam in omni dubio ſeu controuerſia fidei perdiſcendi, non eſſe.

Primò enim auditio ſola ſcripturæ, ſæpè potius occaſio eſt dubitationis, quàm mediū inueniendæ veritatis. Sunt enim multi qui audiunt

noſtros

Digitized by Google

noſtros, audiunt Aduerſarios Prædicantes, & verbum Dei prælegentes, & quo ſæpius vtramq; partem audiunt, eò magis dubitant; hic certè niſi dubitans ad aliquam Eccleſiam adducatur, cuius authoritate, ob alia motiua inductus, credat hanc potius, quam illam partem alteri Eccleſiæ ſeu congregationi adhærentem, vera docere, ſanè perpetuò quaſi dubitare cogetur.

Secundò orationem & meditationem non eſſe quoque ſufficiens, & ordinarium medium, in omni quæſtione ſeu dubitatione, exquirendæ veritatis, ex eo manifeſtè oſtenſum eſt, quia ſancti Patres licet dies ac noctes in Lege Domini meditarentur, & plus vtique orationi tribuerent, quàm Aduerſarii vnquam facere ſoleant, aut etiam facere aliquis facilè poſſit, nihilominus tamen, in quibuſdam fidei quæſtionibus, vbi clara quidem aliqua Eccleſiæ ſententia non ſuppetebat, per humanam fragilitatem aberrarunt.

Sed reſpondit Hunnius, eſſe diſtinctionem inter articulos fidei fundamentum euertentes, & alios minus principales, quos multi abſque ſalutis diſpendio ignorare poſſint.

Sed quid hoc ad rem? manet enim interim argumentum inconcuſſum, quod videlicet ad Iudicem in aliquo foro debeat cuique patere acceſſus, atq; adeò, ſuppetere facultas exquirendi eius ſententiam, in omni controuerſia eius fori: Quod cum de ſcriptura dici non poſſit, firmum manet, quod Eccleſia, non ſcriptura, propriè ſit Iudex controuerſiarum.

Aut eo ne inſaniæ prorumpere auſit quiſpiam, vt ſibi perſuadeat, nullam talem iudicandi authoritatem in Eccleſia eſſe conſtitutam, cuius ſententia medio, aut modo aliquo ordinario in omni fidei controuerſia, à quolibet exquiri & addiſci poſſit. Hoc quiſquis de Deo & Eccleſia ſentit, Deum quidem, quantum in ſe eſt, paterna ſua in Eccleſiam prouidentia omninò ſpoliat, ipſam verò Eccleſiam omni politia temporali infœliciorem & imperfectiorem facit. Et ita tertium quoque argumentum concluſum eſt, ad comprobandam Eccleſiaſtici iudicii authoritatem, cui an ſit ſufficienter reſponſum, vt in Colloquio Auditoribus, ita iam quoque lectoribus liberè iudicandum permitto.

Hic vero cum præter expectationem Colloquium, vt infra commemorabo, fuiſſet abruptum, ad duas alias argumentorum claſſes, iuxta ordinem initio conſtitutum, procedi à Catholicis non potuit, licet ipſi ſeſſiones duntaxat ſex, in ſuis argumentis proponendis transegerint,

cùm Aduerſarii octo ſeſſiones, in ſuis argumentis proponendis cõſumpſerint. Interim verò ex dictis ſatis redargui poteſt quorundam Nouellantium mendacium, qui publicè diſſeminare veriti non ſunt, Catholicos vnum tantum argumentum ex ſcriptura produxiſſe, cum tamen quatuor minimum ex illa adduxerint argumenta.

Quòd autem, Prædicantium more, integros ſcripturarum modios, ſine modo, non effutiuerint Catholici, hoc ideo factum eſt, quod ineptire, vt Prædicantes, noluerint, quos in citandis ſcripturis ineptiſſimos fuiſſe, ſuprà demonſtratum eſt. Cum itaque omnia *in numero, pondere & menſura* agenda ducerent Catholici, modum ſibi ſtatuendum eſſe decreuerunt, in allegandis ſcripturæ teſtimoniis.

Accedit, quòd ſæpenumero parum vtilem illam de ſcripturis contentionem, cum Hæreticis, eſſe ſciebant, cum ſi quid ex ſcripturis protuleris, aliter interpretari ſoleant Hæretici, ſi authoritate ſanctorum Patrum, qui diuerſam ſcripturæ interpretationem tradiderint, vrgeas, eos ipſi præ ſe contemnere non verẽatur. Intellexit hoc optimè Tertull. de Præſcript. Hæret. cap. 17. vbi ſic ait: *Nihil proficit congreſſio ſcripturarum, niſi plane vt aut ſtomachi quis ineat euerſionem, aut cerebri, &c.* & infra eodem cap. 17. & 18. *Quid promouebis, inquit, exercitatiſſime ſcripturarum, cum ſi quid defenderis negetur ex diuerſo: Si quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione, nihil conſequeris niſi bilem de blaſphematione. Ille verò ſi quis eſt, cuius cauſa in congreſſum deſcendis ſcripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hereſes deuerget? hoc ipſo motus, quod videat te nihil promouiſſe, æquo gradu negandi & defendendi, diuerſa parte ſtatutum, certe de pari altercatione incertior diſcedet, neſciens quam hæreſin iudicet, &c.* Et cap. 19. *Ergo,* inquit, *non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa, &c.* Neque verò noua hæc Hæreticorũ, in Catholicos, accuſatio eſt. Nam & olim Maximinus Arianus Epiſcopus cum S. Auguſtino diſputans, aliquoties in ea diſputatione taxauit Auguſtinum, quod non ex verbo Dei ſcripturas proferret, vt refert ipſe Auguſtinus, lib. 1. contra Maximinum. Quod ſi libitum fuiſſet Catholicis ineptire, vt Prædicantibus libuit, tunc non difficile fuiſſet, vel vnum ex Grammatica puerum conducere, qui ſcripturam in locos communes digeſtam, ex charta, non minus quam ipſi, eleganter recitaret.

PARS

Digitized by Google

PARS TERTIA.

DE COLLOQVII FORMA, FINE, ET QVIBVSDAM EI adiunctis.

CAPVT PRIMVM.

CATHOLICOS MAGNOPERE, ac iure optimo, formam Dialecticam in hoc Colloquio vrſiſſe.

NIhil in toto diſputationis decurſu, magis horruerunt Aduerſarij, præſertim verò Hunnius, quàm formam argumentandi & reſpondendi Dialecticam; nihil è contra magis vrſerunt Catholici, quàm legitimam illam diſputandi formam, idq; neceſſitate vrgente, tam crebro, vt iam inter ludos quoq; & conuiuia, Ratiſbonæ, quaſi prouerbio, vſurpari dicatur illud AD FORMAM. Vt ergo conſtet Hæreticos immeritò eam formam refugiſſe, Catholicos meritò vrſiſſe, declarandum hic breuiter duxi, propter imperitiores, quid ſit forma Dialectica, & quàm ſit ea, præſertim in omni diſputatione publica cum hæreticis huius temporis, neceſſaria, ne adhuc ex vulgo quidã, vt tunc accidit, opinetur de quodam (FVERMAN) nobis tantum fuiſſe iurgium. Qua in re ita me imperitioribus etiam accommodabo, vt ex hæreticis quoque doctiores diſcere aliquid, ſi velint, poſſint, præſertim Hunnius, qui ſemel in Colloquio, ad formam Dialecticam ſeruandam, maiore ſtudio prouocatus, inſulsè exclamauit. *Quæ eſt illa forma Ieſuitica?* Ita iam, mi Hunni, diſcere hoc à me poteris, breui compendio.

Itaq; forma Dialectica, quam Hunnius, per contemptum quidem, ſed honorificè vocauit Ieſuiticam, eſt compendioſa, & ad eruendam veritatem aptiſſima quædam diſputandi ratio, in quibuſcunq; celeberrimis Academijs vſitata, qua in argumentando, & reſpondendo, debitus ordo ſeruatur.

Conſiſtit autem hic ordo in his potiſſimum capitibus, quorum hæc quinq; argumentantis officium concernunt. Primum, vt quamdiu quis opponentis partes tuetur, ſuo muneri inſiſtat, nec ineptè cogat reſpondentem ad ſuam reſponſionem probandam, niſi fortè negata inductio-

ne, petenda ſit ab Aduerſario inſtantia, vel negata conſequentia, ſyllogiſmi vitium in forma demonſtrandum ſit, ne alioqui partes argumentantis & reſpondentis inter ſe confundantur. Patet hoc etiam exemplo fori politici, in quo ſanè actor inſiſtere probationi impacti criminis debet, non autem, omiſſa probatione, reum cogere ad ſuam innocentiam demonſtrandam. Hoc enim ſi faceret, aut calumniari, aut tergiuerſari cenſeretur.

Secundum, vt ſuum argumentum modo aliquo argumentandi dialectico concludat (niſi forte inter partes conuentum ſit, vt interrogando potius, qui modus diſputandi etiam inter Doctos olim vſitatus erat, quàm argumentando, diſputatio tranſigatur) & non vt in cathedra concionator, in foro cauſidicus, declamet.

Tertium, vt argumentum ad præfixum ſcopum dirigatur, probando ſcilicet id, quod negatum eſt, non aliud quod à nemine negatum eſt confirmando, vt Aduerſarios feciſſe ſupra demonſtratum eſt.

Quartum, vt non prius aliqua propoſitio probetur, quam à reſpondente fuerit negata, ne inutiliter tempus conteratur, vt etiam ab Aduerſariis factitatum eſſe oſtenſum eſt.

Quintum vt argumenta plura ſimul non proponantur, multo minus, vt ne plura à diuerſis, ſed ſeorſim & ſeparatim ſingula, ne multitudo confuſionem pariat, & reſpondens obruatur potius, quā conuincatur, ad quod tamen Aduerſarii vix vnquam adigi potuerunt.

Ex parte verò reſpondentis, hæc etiā quinq; potiſſimum obſeruanda ſunt. Primū, vt reſpondēs argumentum ab aduerſa parte propoſitum in forma, non mutatis terminis, quantum fieri poteſt, exactiſſimè reſumat; & poſteà ordine ad ſingulas propoſitiones reſpondeat: Tùm vt omnibus eò melius conſtet quorſum reſponſiones dirigantur; tùm ne fortè Aduerſarius, aut per obliuionem & errorem, aut per fraudem, alias ſibi propoſitiones fingat, quam ab argumentante propoſitæ fuerant vt ſæpius Hunnio accidit, qui cum nunquam fere argumentum propoſitum reſumere vellet & interim perpetuo loquendo reſponderet, nonnunquam interrogatus, qualem propoſitionem negaret, concederet, vel diſtingueret; aut penitus neſciuit, aut ſecus produxit, quam propoſita fuerat.

Secundū, vt repetito argumēto, ad ſingulas propoſitiones breuiter reſpon-

ſpondeatur, vera concedendo, falſa negando, ambigua diſtinguendo; & diſtinctio rotundè & breuiter certo alicui termino applicetur, qui terminus ſi forte in pluribus propoſitionibus reperitur, in pluribus eodem modo diſtinguendus eſt. quod Doctores iſti non ſolum non fecerunt, ſed nec didiciſſe videntur, vt facere poſſent. Vbi etiam cauendum ne ineptè dicat ſe diſtinguere, quando propoſitionem re ipſa negat.

Tertium, vt rotundè & ſine tergiuerſatione ad ſingulas propoſitiones reſpondeatur, atq; adeò ne ſcopus & curſus argumenti impertinentibus interrogationibus obiectionibuſq; interturbetur, vel abrumpatur. quo etiam pertinet, vt ſi quid argumentans ad propoſitum ſuum interrogat, ei pari modo ſine tergiuerſatione reſpondeatur.

Quartum, vt reſpondens non ſubito in argumentantem tranſeat, nî forte quandoque neceſſe ſit, rationem ſuæ negationis breuiter reddere, ne abſurdè negare videatur, vt monet Ariſtoteles 8. Top. multò minime, ne, obiecto argumento, argumentantem cogat ad reſpondendum vt ſic propoſiti argumenti curſum abrumpat, hoc enim apertum effugij genus eſt, & Aduerſarijs valdè vſitatum.

Quintum, vt in ſyllogiſmo nunquam negetur conſequentia, niſi vitium formæ oſtendatur: cum interim in enthymemate fas vtiq; ſit negare conſequentiam, nulla alia ratione reddita, cum hæc ipſa generalis & omnibus nota ratio ſufficiat, quod enthymema perfecta conſequentia, ſeu ratiocinatio non eſt.

Hæc potiſſimum ſunt, mi Hunni, quæ ad formam Dialecticam, ſeu, vt tu loqueris *Ieſuiticam*, pertinet. Licet enim hæc dudum ſcire debuiſſes, vtpote quæ in omnibus celeberrimis totius orbis Academijs, tanquã regulæ rectè diſputandi, & diſcuntur, & docentur; tamen in tuam gratiam, qui ea videris fuiſſe oblitus, repetere placuit. Tu ſi hæc didiciſti, bene habet; didactrum autẽ meo nomine ſolues tuo Domino Schram, quem tibi iam ante in ipſo Colloquio, vt noſti, Magiſtrum in Dialecticis deſignaui. Si rem nec dum tenes, & quærendo porro inſtabis, quæ ſit illa forma Ieſuitica, iam quia terminos etiam non intelligere ſatis videris, ſuadeo, vt ad ſcholam aliquam Ieſuiticam te conferas, & in ea de nouo Dialecticam diſcas.

Vt autem intelligatur neceſſitas huius formæ, in diſputationibus publicis cum hæreticis habendis, initio quaſi fundamenti loco ſupponendum eſt, hæreticos omnes, tum inprimis iſtos (quos illa ſua vtcunque prompta loquacitas inſolentiores reddidit) non ſolùm erroris ſui

Digitized by Google

tenaciſſimos eſſe, & in eo propugnando extremè contumaces; ſed etiam impudenter ſimul audaces, ita vt ſi non luce clarius conuincantur, ſic vt apertè concedere negata debeant ſe non ſolum victos eſſe negent, ſed etiam victores impudentiſſimè jactitare ſoleant; etiamſi vix, ac ne vix quidem putidè tergiuerſando, garriendo, declamitando eluctati ſint; id quod non ſolum experimento huius diſputationis ſatis iam compertum eſt, ſed ex omnibus, quæ hactenus cum iſtis hæreticis habitæ ſunt, demõſtrari poteſt.

Quo poſito, illud apertè iam colligitur, in eiuſmodi diſputationibus præſertim publicis, & quæ ex condicto fiunt, eum modum prorſus cum hæreticis neceſſariò obſeruandum eſſe, qui etiam contumaces conſtringere valeat; qui nullum tergiuerſationibus & effugijs vllis locum concedat, quo omnes ſuperfluæ declamitationes, inaneſque verborum jactationes penitus reſecentur, qualis quidem vnicus & ſolus eſt ille, qui ſupra deſcriptus eſt, & à doctis appellatur FORMA DIALECTICA. Certiſſimum enim eſt, neglecta forma dialectica, tot quaſi exitus & effugia contumaci Aduerſario patere, vt licet in argumentando, vel in reſpondendo, re ipſa ſuccubuerit maximè, ſuccubuiſſe tamen non videatur, quot quaſi perruptis dialecticæ formæ terminis, oſtia ſibi patefecit.

Nam vt exemplo rem manifeſtam faciam; proponatur V. g. alicui hæretico argumentum prorſus indiſſolubile, quod palàm & luce clarius rem propoſitam demonſtret, ſi tamen illud in forma nõ repetat, ſed mutatis, aut diſſimulatis propoſitionibus, ipſe ſibi nouum argumentũ confingat, contra quod declamitet, aut ſi reſumat quidem, ſed in reſpondendo tergiuerſetur, neq; concedere, neq; negare, neque propoſitiones in ſuis terminis diſtinguere velit, ſed vel declamet, eſſe reſponſum, eſſe protritum, vel obiecto aliquo exemplo aut argumento, quod videatur tali reſponſioni aduerſari, aduerſarium ineptè cogere velit ad reſpondendũ ſuo argumento &c. vt ita neceſſitatem reſpondendi ipſe effugiat, nonne ſtomachus potius opponenti etiam firmiſſimum illud argumentum euertetur prius, quàm hæreticus apertè conuictus ſuum errorem agnoſcere cogatur? Neque certè aliud eſt talis diſputatio, quàm iurgium inutile, bellum ſine ordine, confuſus clamor. Sed exempla plura huius rei, ex hac diſputatione, ſequenti capite proferemus.

Hinc profectò tantũ abeſt, vt in eiuſmodi diſputationibus neglectâ formâ Dialecticâ, vincat veritas, vt viciſſe etiam aliquando videri poſſit is, qui impudentior eſt, & confidentius ante conflictum victoriam, ante victo-

Digitized by Google

victoriam triumphum canere audet, qui verſutior, & in tergiuerſando magis verſipellis, qui dicacior & loquacior, magiſque aut comptè, aut promptè, aut blande, aut prolixè garrire poteſt: quibus in rebus Catholici Hæreticis primas, abſque inuidia, facilè concedunt.

Et quid opus eſt argumentis pluribus, vbi res ipſa loquitur? Sicut enim in omni arte, ſua quædam forma artifici præfixa eſt, à qua ſi deficiat, imperfectum opus reddi neceſſarium eſt: ſic in diſputando, dialecticâ ſeu diſſertatrice forma non ſeruata, ipſam quoque diſputationem mancam & imperfectam reddi neceſſe eſt.

Et certè ſi alia diſputandi forma ad veritatis inquiſitionem accomodatior eſſet, ſcirent vtiq; etiam hanc Academiæ, & ſequerentur. Iam autem vnica illa in omnibus totius orbis Academijs rectè conſtitutis, in Germania, Italia, Hiſpania, Gallia, India, ſola, inquam, & vnica docetur & diſcitur, ſola tàm in Theologicis, quàm Philoſophicis diſputationibus exercetur, vt dubium nulli eſſe poſſit, hanc etiam ſolam, vel certè inter omnes maximè accomodatam eſſe ad veritatem perueſtigandam, & propugnandam, quæ vnicus diſputationis finis & ſcopus eſt.

Et cùm in omni quidem diſputatione cum Hæreticis ex condicto habenda, ſeruanda eſt forma dialectica, tùm imprimis in publica, in qua eò minus ſuæ quiſq; ſententiæ cedere nouit, quò magis, coram pluribus ſuccubuiſſe, refugit: Præſertim ſi plebe etiam inſpectante fiat, cuius alioqui plauſum prædicantes (qui ſciunt ſe prudentioribus & doctioribus placere facilè non poſſe) non ſolum ſtudioſè aucupari ſolent, ſed etiam conſequi facile poſſunt, ſi extra formam dialecticam garrire & declamitare ſinantur, cùm imperita multitudo formam dialecticam, & vim ſingulorum argumentorum, vt parum intelligit; ſic parum probet, ijſque minus afficiatur, auida magis concionis & verboſæ declamationis, quàm eruditæ argumentationis.

Ob has igitur, & ſimiles grauiſſimas cauſas, iure optimo, tùm imprimis Sereniſſimus Bauariæ Dux, pro ſua egregia eruditione & prudentia, tùm eius quoque Theologi, tùm ante diſputationem, tùm in ipſa diſputatione tantoperè vrſerunt formam dialecticam: ita quidem vt ipſemet Sereniſſimus Dux, priuſquam Ratiſbonā abiret, disertè profeſſus fuerit, ſe diſputationi intereſſe non velle, niſi Prædicantes ad formā ſyllogiſticam ſiue dialecticam ſeruandam aſtringi velint. In quam diſertam poſtulationem & proteſtationem ſine vlla dubitatione conceſſiſſe viſi ſunt; nō ſolum quod accepto eiuſmodi vltimato reſponſo ſuæ Sere-

nitatis

nitatis, ad diſputationis locum venerunt, nulloq; verbo ſignificarunt, ſe petitioni Sereniſſimi Ducis nolle acquieſcere, ſed etiam quia apertè ſignificarunt, ſibi omninò conſtitutum eſſe, formam legitimam ſeruare. Accedit quòd in legibus Collocutorum, quas non ſolum Aduerſarij, nõ minus quam Catholici, acceptarunt, ſed etiam compoſuerunt, apertè conſtitutum fuerit, vt argumenta ſyllogiſmo, vel alio approbato argumentandi modo concludantur, & vt abſq; tergiuerſatione & ambagibus diſertè ad ſingulas propoſitiones reſpondeatur, Concedo, Nego, Diſtinguo, in quo conſiſtit ſumma omnium eorum, quæ ad formam Dialecticam requiri diximus. Sed iam videamus quam diligenter eam formam Prædicantes ſeruarint.

CAPVT SECVNDVM.

PRÆDICANTES IN TOTA diſputatione ad formam Dialecticam ſeruandam adigi non potuiſſe, ſed potius contra eam apertè etiam nonnunquam proteſtatos.

PRædicantes formam Dialecticam in hac diſputatione nõ ſolum neglexiſſe, ſed palàm deteſtatos fuiſſe, quiſquis Protocollum leget, intelliget.

Et vt multis exemplis ſuperſedeam, cum plena exemplorum ſint in Protocollo, ſint omnia, potiores tantùm & apertiores tergiuerſandi, ſeu præter ſcopum euagandi rationes, quibus contra formæ dialecticæ leges, latebras ſubindè & effugia quæritabant Aduerſarij, comemorabo.

Atq; dum argumentanti quidem officium ſuſtinerent, vſitatiſſima illa erat ratio tergiuerſandi, quòd dum in probando deficiebant, & nec ſua pronunciata vlterius confirmare, nec noſtra reſponſa refutare poterant, petebant è conuerſo à nobis, vt noſtras ipſi reſponſiones probaremus, cui poſtulationi ſi quando non è veſtigio ſatisfiebat, vt ſcilicet diſputandi leges ſeruarentur, impudenter clamitare non ſunt veriti, nos conſtrictos teneri &c. etiamſi alioqui probandi munus non nobis, ſed ipſis incumberet. Huc ſpectat, quòd cum ſubinde argumentis ita exigentibus iteratò eaſdem reſponſiones repetebamus, *principium à nobis peti*, imperitiſſimè proclamarunt.

Digitized by Google

Secunda ratio tergiuerſandi Aduerſarijs, dum probandi munus ſuſtinerent, vſitata hæc erat, quòd adduci non poterant, vt ſua argumenta forma ſyllogiſtica, aut alia in dialecticis probata argumētandi ratione concluderent. Quamquam enim vnum aliquando, aut alterū ſyllogiſmum extrudebant, decem tamē alias obiectiones, ſine omni modo & forma effutiebant, vt facilè ex Protocollo cuiq; patebit. Hæc autem cōmoda eis viſa eſt effugiendi ratio, vt ita minus in probando ſuccubuiſſe viderentur, dum quidlibet extra formam garrire aut declamitare, fas eſſe duxerunt. Cùm alioqui ſi dialecticè proceſſiſſent, & ſcripturas non nudè protuliſſent, ſed ex eis conſequentias exſtruxiſſent, & multa paucis ſolui potuiſſent, & facile breui exhauriri debuiſſent, & longè clarius vanitas obiectionum detecta fuiſſet, vt videre eſt ex Seſſ. 11. quando ſex quas Aduerſarij dicebant, demonſtrationes ex ſcriptura, in formā conſequentiæ redactæ, vno quaſi flatu diſſipatæ ſunt, non ſine magno Aduerſariorum probro.

Tertia ratio tergiuerſandi erat, quòd ſæpè Aduerſarij probabant, quod probare minimè debebant, vt dum Hailbronner Seſſ. 4. tàm anxiè probauit ſcripturam eſſe perfectam, quod nunquam fuerat negatū. Item, dum Hunnius ſeſſ. 8. tàm argutè probauit, *effectum illum perfectum æternæ ſalutis, requirere cauſam perfectam.* Item, dum Aduerſarij in Seſſ. 3. ſupra duodecim ſcripturæ teſtimonia protulerunt, ad probandum, *quod Reges & Principes, qui ſecundum ſcripturæ normam ſuos cultus inſtituerunt, laudati ſint*, quòd nemini tamen negare in mentem venerat. Item, dum Seſſ. 4. aliquot etiam paginas adductis & prælectis ſcripturæ teſtimonijs repleuerunt, vt probarent illam ſuam propoſitionem minorē, cùm maior, non minor probatione indigeret &c.

In reſpondendo verò, dum ſcilicet ex officio reſpondentis partes obirent Aduerſarij, quod quidem ſex poſterioribus ſeſſionibus accidit, prima & communiſſima erat tergiuerſandi ratio, quòd nec vt argumenta in forma reſumerent, nec vt diſertè & breuiter ad ſingulas propoſitiones reſponderent, adduci poterant. Certè quidem in Seſſ. 13. cùm eis propoſita fuiſſet clariſſima illa & breuiſſima quæſtio, in qua totius ferè diſputationis cardo vertebatur, *anne videlicet aliquid omninò extra ſcripturam diuina & infallibili fide credendum ſit, quocunque tandem nomine vocetur & appelletur*, vix intra horam, categoricum reſponſum impetrari potuit, quod in Seſſ. quoque 13. & 14. ſæpius accidit.

Digitized by Google

Altera, & quidem inſignis tergiuerſandi ratio erat, quòd ſubindè Aduerſarij, quando reſpondere non poterant, mox in argumentantes ſe transformabant, & obuio quolibet ſcripturæ loco impertinentiſſimè obiecto, cogere nos ſatagebant, vt relicto noſtro argumento, qui tamen argumentantes eramus, ſuis vaniſſimis nugis reſponderemus. Ita non ſolùm imperitè, ſed etiam impudenter Hunnius, cùm à me ei obiectum fuiſſet, quòd in dubio debeant ſubditi, depoſito dubio, acquieſcere ſententiæ ſui magiſtratus, mox obiecit locum illum Paulinum: *Quod ex fide non eſt, peccatum eſt:* quem cùm ego vt impertinentem reieciſſem, vel potius obiter quidē, ſed ſolidè declaraſſem, aſſeruit; *me illo loco teneri conſtrictum*, vt etiam paulò poſt, cùm reſpondere ſimiliter non poſſet, infra fecit, obiecto exemplo ſeruorum Regis Saul, 1. Reg. 22. & in Seſſ. quoque 14. cùm itidem obiecto argumento conſtrictus teneretur, & ad reſpondendum tamen vrgeretur, extra omne propoſitum obiecit illam quæſtionem, *annè aliquis verè ſanctus fouere poſſit errores, qui fundamentum ſalutis euertant*, quam quæſtionem ita etiam pertinaciter vrſit, vt licet à me perpetuò moneretur, vt ad propoſitum ſibi argumentum, ipſe qui reſpondentis officium ſuſtinebat, tandem ſine tergiuerſatione reſponderet, etiam ab ipſis Principibus poſtulare veritus non fuerit, *vt me ad categoricum reſponſum adigerent*, cuius doloſam impudentiam deridens, dicebam: Rem ſanè lepidam eſſe, eum qui reſpondentis partes ſuſtinet, cùm reſpondere non poteſt, rogare Principes, vt adigant aduerſam partem ad reſpondendum alteri cuipiam quæſtioni, à ſe impertinenter obiectæ, quem idcirco modum effugij notatu dignum aſſerebam. Et ſimilia plura exempla ſingulis propè ſeſſionibus, quibus Aduerſarij munus reſpondentis obibant, legenti occurrent.

Neq; verò tantùm reipſa formam dialecticam non ſeruarunt Aduerſarij, ſed etiam contra eam apertis quandoque verbis proteſtati ſunt. Et initio quidem ſtatim diſputationis, cùm in prima Seſſione Hailbronner, in ſua reſponſione ad propoſitionem nomine Principum factam, diceret, cupere ſe ex hoc Colloquio *remoueri ſcholaſticas diſceptationes*, non obſcurè dialecticam formam excluſam cupiebat.

In ſecunda verò Seſſione, cùm D. Hungerus monuiſſet aduerſæ partis Collocutores, vt in forma procederent, his ei verbis ab Hunnio reſponſum eſt: *Nos ſuo loco laudamus & probamus dialecticam, & logicas præceptiones, & vſurpamus illas, quantum ſatis eſt ad rerum explicationem*; ſatis

ita

ita manifeſtum faciens, ſua quidem ſententia, in eo Colloquio dialecti-cæ vſum nullum ſibi locum vendicare debere.

Seſſ. 4. cùm noſtræ partis Theologi, ob formam non ſeruatam, interloquerentur, rurſus Hunnius publicè proteſtatus eſt, *ſe non progreſſurum, niſi cohibeantur eiuſmodi interpellationes.*

Seſſ. 8. cùm Hunnius obieciſſet locum quendam Epheſ. monitusq; à me fuiſſet, vt juxta leges Colloquij, ſyllogiſmum indè conficeret, ita palam contra dialecticam proteſtatus eſt: *Ego ab Aduerſario toties interturbatus, diſertiſſimè profiteor, nolle me amplius cum iſto homine diſputare, niſi permittat, vt explicentur & euoluantur dicta ſcripturæ.* (quòd tamen ei ſuo loco nemo facere prohibebat) *niſi enim illa ratio ſophiſtica,* (ita enim per contemptum vocabat formã dialecticam) *coerceatur, nihil poſſumus cum illo agere.*

Seſſ. 10. cùm ad reſponſionem in forma, & categoricè dandam adigeretur, ita contra Hunnius, *quæ eſt,* inquit, *illa forma Ieſuitica?* vbi quamuis ſatis declarârit, quàm malè erga formam dialecticam affectus eſſet, placet mihi tamen quòd *Ieſuiticam* appellarit, ſi enim *Ieſuitica* eſt, certè forma Hunnij, vt alioqui jactabat, *Ieſuitica* & Chriſtiana non eſt, de quo ſuo loco.

Seſſ. 11. cùm rurſus publicè exprobratum fuiſſet Hunnio, cur tam turpiter, neglecta forma dialectica, quidlibet effutiret, & additum: eius quoque olim diſcipulos vehementer mirari, quòd formam dialecticam iam vſque adeò refugeret, quam olim, inter priuatos parietes, apud ſuos diſcipulos, tàm ſtudioſè vrſerat, eum itaque apertè iam ſeipſum infamare, & ſuam doctrinam prodere: nihil aliud reſpondere potuit, quàm frigidum illud: *Ego realia reſpicio:* Hoc eſt formam non curo.

Seſſ. 13. cùm ſæpiùs etiam ad formam ſeruandam vrgerentur Aduerſarij, tùm ab ipſo Sereniſſimo Bauariæ Duce, tùm etiam à Catholicis Collocutoribus, reſpondit Hunnius: *Ego formam ſeruo à Chriſto, & Apoſtolis, & à Patribus obſeruatam,* quod tamen quàm ſit vanum infra patebit.

Quid? quod etiam non leuibus indicijs demonſtrarunt Prædicantes, in hoc Colloquio, ſe nec didiciſſe quidem formam dialecticam, aut certè, ſi didicerunt, oblitos eſſe. Quàm enim inſulſum, & ab omni arte dialectica alienũ erat, quod Aduerſarij ſæpius obiecerunt nobis, cùm reſpondentis officium ſuſtineremus, *fallaciam petitionis principij* à nobis

commiſſam eſſe, cùm in probando duntaxat, non in reſpondendo principium peti contingat. Neq; verò idem eſt petere principium, quod ſupponere aliquid certum, quod eſt in controuerſia, vt imperitè dixerat Hunnius: Hoc enim ſemper facere debet reſpondens, qui ſuas theſes, vt certas ſupponit. Sed ea demum petitio principij eſt, quando concluſio ad ſui ipſius probationem aſſumitur, quod ab argumentante ſolum, non à reſpondente fieri poſſe conſtat. Satis ergo Hunnius cum ſuis demonſtrauit, ſe hactenus ignoraſſe, quid ſit petitio principij.

Alterum exemplum huius imperitiæ eſſe poteſt, quòd ſæpius obiecerunt Aduerſarij, committi *fallaciam cauſarum*, vbi tamen de cauſa nihil agebatur, vbi in optima conſequentia argumentum proponebatur, de quo ſupra iam actum eſt.

Tertium exemplum, quòd eximius D. Hunnius ſyllogiſmum primæ figuræ collocauit *in ſecunda figura*, atq; ideò etiam vitioſum eſſe pronunciauit, neſciens quid ſit prædicari, quid ſubijci &c. De quo ſupra part. 2. cap. 10. Quid mirum igitur, quod Prædicantes formam dialecticam in diſputando non ſeruarunt, quam ne didicerunt quidem, vt ſeruare poſſent?

CAPVT TERTIVM.

QVAM IMPVDENTER ADuerſarij quandoq; iactarint, ſuam formam eſſe formam Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum Patrum.

NON puduit aliquoties Aduerſarios, præſertim Seſſ. 13. quando ad formam dialecticam in diſputatione ſeruandam ſtudioſius vrgebátur, publicè iactitare, *ſuam formam eſſe formam Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum Patrum:* Quod arrogantiúſne an contumelioſius dictum ſit, non facilè dixero; vaniſſimè certè & impudentiſſimè vtrumq;, ſiue quòd formam Chriſti ſuam faciebant, ſiue quòd ſuam Chriſto Sanctiſq; eius tribuebant.

Itanè verò, ô infœlices, forma veſtra Chriſti, Sanctorumq; eius forma eſt? Ergonè Chriſtus, ne ad rem venire cogeretur, iniquis poſtulatis Aduerſarios fatigabat, tempuſq; inaniter extrahebat, vt vos initio ſtatim Colloquij feciſſe, demonſtratum eſt? Ergonè Chriſtus Sanctiq; eius, dum diſputarent, vano caſſoque labore probandis ſollicitè ijs, quæ nemo

mo negabat, tempus abſumebant, vt à vobis ſæpius factitatum ſupra oſtenſum eſt? Ergone Chriſtus Sanctiq; eius, cum ſua probare non poſſent, reiecto à ſe probandi onere, Aduerſarios intempeſtiuè vrgebant, vt ſua probarent, ne inprobando videlicet defeciſſe viderentur? Ergonè Chriſtus, ſanctiq; eius Aduerſarios, quibuscum diſputabant, negata cōmodè reſpondendi facultate, multitudine & confuſione obiectionum obruere nitebantur, quos robore argumentorum conuincere non poterant? Ergonè Chriſtus, ſanctiq; eius non niſi ad calamum diſputare volebant, eo tantum fine, vt tempus extraheretur, & ad rem ſeriò diſcutiendam, veniri nō poſſet? Ergonè Chriſtus, & Apoſtoli, quando reſponſiones Aduerſariorum refutare non poterant, dixere principium ab eis peti? Ergonè Chriſtus & Apoſtoli legitimè interrogati, de re ad propoſitam diſputationis materiam pertinente, vſque adeò, vt vos feciſſe conſtat, tergiuerſabantur? Ergonè Chriſtus & Sancti eius argumenta Aduerſariorum reſumere, & diſertè, breuiter, ac apertè ad ea reſpondere, aut non voluerunt, aut non potuerunt? Ergonè Chriſtus, ſanctiq; eius, quando ſe cum aliquo diſputaturos eſſe, adpromiſerant, & ex condicto reſpondentium partes obibant, alijs quæſtiunculis obiectis declinare, & à ſe repellere argumenta nitebantur, quæ ſoluere nō poterant? Hanc ne formam, inquam, ſeruarunt Chriſtus, Apoſtoli, ſanctiq; Patres, quam ab Aduerſarijs tàm ſtudioſè obſeruatam eſſe, tùm ex Protocollo liquet, tùm ſuperiùs etiam obiter indicatum eſt? Impudens ſanè temeritas, aut Chriſtum, Sanctosque eius ex diſputatoribus facere velle tergiuerſatores, aut ex tergiuerſatoribus, quales fuerunt Prædicantes, conſtituere diſputatores, Chriſti, Apoſtolorum, ſanctorumque Patrum aſſeclas.

Et profectò tantùm abeſt, vt Chriſti, Apoſtolorum, ſanctorumque Patrum forma, Prædicantium forma ſit; vt euidenter potius demonſtrari poſſit, eam prorſus communem Hæreticorum, atq; adeò Chriſti, Apoſtolorum, ſanctorumque Patrum hoſtium, formam eſſe. Legat, qui huius prolixiorem demonſtrationem deſiderat, diſputationem Auguſtini cum Felice Manichæo, diſputationem eiuſdem cum Maximino Arianorum Epiſcopo, diſputationem Athanaſij cum Ario, &c. videbit profectò; nec ouum quidem ouo tam ſimile eſſe, quam forma diſputandi veterum Hæreticorum, formæ iſtorum Prædicantium ſimilis eſt. Ego rem hanc breuitatis cauſa, vno tantum aut altero exemplo illuſtrabo. Sæpius vſitata fuit Aduerſarijs hæc fraus, vt quando in probandis ſuis theſibus ſuccumbebant, mox à nobis probationem noſtræ reſponſio-

ſionis ſeu affirmationis peterent: licet illis alioqui,non nobis probandi munus incumberet. Idipſum non ſemel fecit Fælix Manichæus,cum S.Auguſtino diſputans.Cum enim Auguſtinus,lecta doctrina Manichæi quaſi theſibus Aduerſarij, petijſſet à Fælice probationẽ ſuæ theſis. *Proba nobis*,inquiens, *quomodo iſte Manichæus, ſit Apoſtolus Ieſu Chriſti, &c.* mox è conuerſo Fælix; *& ſanctitas tua mihi probet*, &c.quem etiam Auguſtinus idcircò taxauit. *Quoniam ergo tu probare non potuiſti,&c.quamuis prior ad interrogata mea reſpõdere debueras, &c.*vt videre eſt in Actis,lib.1. cap.2:Rurſus cap.14 cum Fælix in probando defeciſſet, ideoq; Auguſtinus eũ premeret:dicẽs. *Confitere te nõ potuiſſe oſtendere, quod ego interrogaui*,&c.Fælix paulò infrà,vt euaderet hanc ignominiæ notã, ait ad Auguſtinum:*Tu mihi proba,quia mentitur Manichæus, &c.* ſed rurſus Auguſtinus eũ taxauit. *Quia tu non potes probare,verum dicere Manichæum,oportet vt ego probẽ, mentitum eſſe Manichæum?* Deinde ſummopere quoq; ſæpius Aduerſarij noſtri tergiuerſati ſunt,& vix ac ne vix quidẽ,magno labore,adigi quandoq; poterãt , vt ad interrogata diſertè reſpõderẽt,quin potius & alia etiam argumenta, ſeu ſcripturæ teſtimonia nobis argumẽtantibus,reſpondentes ipſi,oppoſuerunt,vt vel hac ratione neceſſitatem reſpondendi noſtris argumentis effugerent : Hoc idem egregiè præſtitit Fælix Manichæus apud Auguſt. in libro de Actis cum Fælice Manichæo,cap.16.vbi cum Auguſtinus interrogaſſet, *an Deus terram fecerit,an genuerit,an æqualis & coæterna illi fuerit?* Fælix tergiuerſando hanc Auguſtini quæſtionem eludere conatus eſt, opponendo aliquem ſcripturæ locum,ad quem ab Auguſtino ſibi reſponderi voluit. *Quomodo*, inquit, *ſcriptum eſt,in principio fecit cœlum & terram,& terra erat inuiſibilis & incoinquinabilis,incompoſita? &c.*Sed Auguſtinus eum idcircò taxauit,& explicato quidem breuiter obiecto loco , rurſus quæſtioni propoſitæ inſtabat,*tu itaq;*,ait,*reſponde nunc mihi,quod breuiter interrogaui ; Terra iſta lucida & beata,quam dicit Manichæus,ſupra quam fundata erant regna Dei, ab ipſo Deo facta erat;an genita de illo erat,an coæterna illi erat? Vnũ de tribus, niſi moleſtum eſt,ſine tergiuerſatione reſponde.* ſed rurſus tergiuerſando Fælix,*ſeipſam*, inquit,*ſcriptura interpretatur*;ſed Auguſtinus rurſus vrgebat, vt illum ſcripturæ locum promeret,quo ad propoſitam quæſtionem reſponderetur,*aperi*,inquit *locum quem noſti,& lege mihi.* Sed rurſum tergiuerſatur Fælix;*nõ eſt*,inquit,*in illa ſcriptura,ſed in altera,&c.*itaq; vix tandẽ reſponſionem ad propoſitam quæſtionem extorquere potuit Auguſtinus.Pari ratione cap.18.cum Auguſtinus interrogaſſet,*an ſubſtantia terræ*

&

Digitized by Google

& aëris ita fundata ſit, vt à nullo vnquam moueri aut concuti poſſit? Fælix tergiuerſando reſpondit: *Motio & concuſſio habet diſtantiam. Auguſtinus dixit. Habeat: ſed tamen talia fuerunt, vt à nullo vnquam moueri, aut concuti poſſent? Fælix dixit. Eſt diſtantia inter moueri & concuti. Auguſt. dixit non inde te interrogo. Fælix dixit.* SED INDE ME VIS TENERE. *Auguſtin. dixit: Quomodo vis, accipe moueri, non poterat moueri? Fælix dixit. non dico quia non poterat moueri, ſed motio diſtantia eſt. Auguſtin. dixit: Sed ita dixi, nec moueri, nec concuti, &c. Fælix dixit. De ambabus rebus diſtantia eſt inter moueri & concuti, &c.* & infra cap. 19. rurſus eius tergiuerſationem taxans Auguſtinus. *quia video*, inquit, *te nolle reſpondere ad id, quod te interrogo, & te interrogare vt tibi reſpondeam, & hoc non recuſo: dum tamen memineris, quia tibi interroganti reſpondeo, tu autem mihi interroganti reſpondere noluiſti.* Plura huius tergiuerſationis exempla reperire eſt apud Auguſtinum eodem loco, & Athanaſium in diſputatione cum Ario.

Tertia generalis fallacia Prædicantium erat, quod ſæpe extra propoſitum, multa ſcripturæ teſtimonia conglomerabant, ad comprobandum id, quod nemo negauerat, ſolum vt vel tempus conſumerent, & Protocollum infarcirent, vel ſplendore ſcripturarum oculos imperitorum præſtringerent, prætermiſſo interim ſcopo, ad quem argumenta collimare debebant, vt aliquot exemplis ſupra demonſtratum eſt. Hoc idem copioſiſſimè præſtitit Maximinus Arianus, cum Auguſtino diſputans, cui proinde meritò idipſum ab Auguſtino exprobratur. *Res*, inquit, *loqueris neceſſarias quidem, ſed non ad cauſam. Ad interrogationem meam non reſpondiſti, & tamen multa dixiſti, Si velis relicta quæſtione, quæ inter nos vertitur,* REDDERE TOTVM EVANGELIVM, *qui dies ſufficiunt, quantum temporis ſpatium neceſſarium eſt? Breuiter mihi dic, &c.* Et infrà cum rurſus Maximinus probaſſet, quod ad rem non ſpectabat, Auguſtinus dixit, *cum vis conari probare, quod ipſe non nego, in rebus ſuperfluis neceſſarium tempus abſumis: Ego non nego per Chriſtum diffuſum fuiſſe Spiritum ſanctum ſuper credentes. Sine cauſa hoc per tantas moras teſtimoniis probare voluiſti, quod ipſe confiteor. Ego hoc dixi, hoc quæſiui, hoc iterum dico vtrum Chriſtus, &c.* Et cum Maximinus rurſus fuiſſet tergiuerſatus, denuò eum interrogat Auguſtinus, *Rogo te*, inquit, *vt vnum de duobus breuiter reſpondere digneris. Reſponde, dixiſti, an non dixiſti? &c.*

Et

Digitized by Google

Et quia rurſus tergiuerſatus Maxim: alia propoſuit, Auguſtinus dixit, *Ego quod quæſiui; vt dicere dignareris, non dixiſti*, *&c.* Et cũ rurſus multa teſtimonia ſcripturæ impertinenter congeſſiſſet Maximinus, rurſus ab Auguſtino taxatur, *ea*, inquit, *quæ nos ipſi confitemur probare nobis non debes. Hoc enim faciendo nihil aliud, ſicut ſuperius dixi, quàm neceſſarium tempus abſumis.* Sed quam pulchrè ſe purgat Maximinus? *Etiamſi*, inquit, *per totum diem quiſq; de diuinis ſcripturis proferat teſtimonia, nõ in verboſitate illi imputabitur:* ideoque multo adhuc prolixius declamauit, plures etiam paginas adductis ſcripturæ teſtimoniis replendo, ita vt etiam Auguſtinum reſpondendi tempus deficeret.

Sed Chriſtus, inquient Aduerſarij, Apoſtoli, & Sancti Patres non ita ſyllogiſmos, aut conſequentias confecerunt: Ego verò vt in prædicatione, concionibus, exhortationibus, reprehenſionibus Chriſti & Sanctorum ſyllogiſmos, aut preſſas conſequentias magnopere non requiro: ita in diſputationibus inuenio. Argumento eſſe poteſt vnicum illud caput Matth. 22, vbi Chriſtum ter cum Aduerſariis diſputando congreſſum legimus, neque ſane abſque acutis & breuibus conſequentijs. Primò enim cum Phariſæi conſilium inijſſent, vt Chriſtum in ſermone caperent, ideoque miſſis & ſubornatis diſcipulis ſuis, cum Herodianis, eum interrogaſſent, liceatne cenſum dare Cæſari an non, ipſe fraudem eorum, hoc enthymemate pulcherrimè eluſit: *Nummus hic vt ex ſuperſcriptione ipſi fatemini, Cæſaris eſt; ergo Cæſari dandus eſt*; licet antecedens illud ipſemet apertè non pronunciarit, ſed velut ab Aduerſariis pronunciatum ſuppoſuerit, vt eò maiorem vim haberet argumentatio. Et quid effecit hac ſua Dialectica? illud ſcilicet quod Euangeliſta commemorat; *& audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt.*

Secundo rurſus contra Sadducæos diſputans, & reſurrectionem mortuorum, ſeu immortalitatem animarum probaturus, non ſimpliciter & nudè abſque omni conſequentiæ forma illum ſcripturæ locum produxit, Exod. 3. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob:* ſed ſubſumpta altera propoſitione; *non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium*; concluſionem Aduerſarijs claram reliquit, vel vt Marcus, cap. 12. refert, etiam addita concluſione, *vos ergo*, inquit, *multum erratis*. Et quid hac argumentandi forma conſecutus eſt Chriſtus? *Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius*, vt refert Matth. vel vt Lucas ait. capit. 20. *Reſpondentes quidam ſcribarum dixerunt ei, Magiſter bene dixiſti, & amplius non audebant eum quicquam interrogare.*

Ter-

Digitized by Google

Tertio,In eodem cap. Matth.22.Chriſtus Phariſæos hac interrogatione adortus, thema ſcilicet diſputationis cõſtituturus; *Quid vobis*,inquit,*videtur de Chriſto cuius Filius eſt?* Et cũ hanc ab Aduerſarijs reſponſionem tuliſſet,eſſe Dauidis,non Dei Filiũ,ecce quàm argutè eos in forma ſyllogiſtica cõſtrinxit? *Quomodo ergo*,inquit,*Dauid vocat eum Dominũ dicens; Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,donec ponã inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eũ Dominum,quomodo eius filius eſt?* Vbi diſertè omnes huius ſyllogiſmi propoſitiones ponit: *Si Dauid Chriſtum vocat Dominum ſuum, tunc ſanè Chriſtus Filius Dauidis eſſe nõ poteſt, ſed Dauid vocauit Chriſtum Dominũ ſuũ,in illo pſalmi loco, Ergo,&c.* Et quis fructus huius tam preſſæ argumẽtationis? *Et nemo poterat ei reſpõdere verbum. Neq; auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.* Quibus exemplis apertè patet,non ſolum falsò & impudenter Aduerſarios dixiſſe,ſuam formam eſſe formam Chriſti, ſed etiam veriſſimè, etſi præter intentionem,formam dialecticam vocatam ab Hunnio, *Ieſuiticam*, cum apertè iam oſtẽſum ſit, eandem quoq; à Chriſto,quando pertinaces diſputando conuincere volebat, obſeruatam.

Et vt hoc obiter etiam dicam, ea plane ſum ſpe, collocutores Catholicos,quandoquidem ipſi, pro ſua ſaltẽ parte,formam dialecticam in diſputando obſeruare ſtuduerunt, eundẽ fructũ ex diſputatione reportaturos,quẽ Chriſtum,dialectica eiuſmodi forma ſeruata,reportaſſe,ſupra oſtensũ eſt,vt videlicet *quidã* ſaltẽ *de ſcribis*,vt Euangeliſta ait,ſiue doctis, acclament illud: *Bene dixiſtis*: & vt Aduerſarij *quoq; non audeant* eos *amplius interrogare*,ſiue ad diſputandũ,forma dialectica ſeruata,prouocare.

Taceo interim, quod Chriſtus & Apoſtoli,non tam diſputando, quàm prædicando & miracula patrando, fidem plantarunt, confirmarunt,& propagarunt;ac proinde tùm ob has ipſas cauſas, tùm ob ſingularem quandam ſermonis efficacitatẽ & energiam,opus non habuerant forma dialectica,ad conuincendos Aduerſarios. Taceo etiã quod Chriſtus & Apoſtoli hæreticos,alioſque eiuſmodi contumaces Aduerſarios nõ tam diſputationibus conuincendos, quàm acri reprehenſione obiurgandos duxerint. Ita enim Chriſtus Phariſæos longa ſanè, & acerba oratione exagitat,Matth.23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, &c. duces cæci,&c. ſerpentes,genimina viperarum, &c.*

Ita Petrus Simonem Magum, Actor. 8. acribus verbis, ob errorem reprehendit: *pecunia tua*,inquit,*tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone*

iſto. Cor enim tuũ non eſt rectũ coram Deo, pœnitentiã itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Et Romæ cum eodem, nec dum emendato, violentius depugnans, eum non verbis, ſed virtute Dei expugnãdum ſibi cenſuit. Nam cum Simon ille Magus, arte magica, in aerem ſubleuatus, quaſi volitare videretur, magna totius populi admiratione, eundem diuina virtute ex alto deiecit, & ita palam omnibus ridendum expoſuit; vt teſtantur Clemens conſtit. lib. 6. cap. 9. Arnobius aduerſus Gentil. lib. 2. Cyrillus catech. 6.

Ita etiam B. Paulus cum Elyma Mago, quem in ſua prædicatione aduerſarium ſenſerat, non multum diſputauit, ſed acriter eum obiurgans, *O plene*, inquit, *omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias domini rectas. Et nunc ecce manus domini ſuper te, & eris cæcus, &c.*

Quod ipſum etiam documentum ſcripto nobis commendauit Apoſtolus Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita*; ſatis apertè ſignificans, arguendum eſſe potius hæreticum, quàm cum eo diſputandum, niſi aliqua iuſta cauſa diſputationem exigere videatur. *Adeo*, inquit Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum cap. 16. *interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam hæretici conueniendi, & hoc vnam, ſcilicet quia non eſt Chriſtianus.* Quid? quod etiam Tertullianus ibidem, frequentiorem hæretici correptionem ab Apoſtolo prohibitam tradit, vt etiam præter alios SS. Patres annotauit S. Ambroſius in eundem locum. *Cogere*, inquit, *illos* (hæreticos) *videtur, qui ſæpe corrigit, vt ſollicitiores fiant ad perditionem multorum, ideo dimittendos eſſe ait, vt negligentiores effecti ſoli forte pereant, &c.* Sed ex his ſatis vaniſſima illa Aduerſariorum iactantia pateſcit, qua temerè effutire non ſunt veriti, ſuam formam, eſſe formã Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum Patrũ.

CAPVT QVARTVM.

DE FINE ET ABRVPTIONE Colloquij.

Circa abruptionem Colloquij multa ſparſerunt Aduerſarij, quibus tum Sereniſſimum Principem, tum catholicos etiam Collocutores perſtrinxerunt; ſed res ita ſe habet, vt partim propriè ipſe experimento didici, partim certa relatione eorum, qui negotij huius conſcij fuerunt, cognoui. Cum iam Colloquium à vigeſimo octa-

Digitized by Google

tio Nouemb. vſque ad 7. Decemb. per nouem dies, ſeſſionibus quatuordecim continuatum duraſſet, eoque iam deuentum eſſet, vt Catholici 8. Decemb. quartã illam ſuorum argumentorum claſſem, quòd videlicet ſola Eccleſia catholica & Romana, ſit vera Eccleſia, ac proinde Iudex omnium controuerſiarum religionis, auſpicarentur; ego ſanè pro mea virili ad eam rem, vtpote quæ omnium quodamodo caput erat, & in qua apertiſſimè quoq; conuinci poterant aduerſarij, magno me animo & ſtudio comparaueram. Iamque dies octauus Decemb. aduenerat, quo ad curiam diſputaturus accedere volebã, cum ſubito poſt ſeptimã matutinam, præter omnem exſpectationem, nuncium ex aula sereniſſimi Bauariæ Ducis ad Collegium noſtrum defertur, Illuſtriſ. Palatinum cum ob reuiſionẽ Protocolli, tùm vt ſui Colloquutores à fatigatione nonnihil reſpirarent, petiuiſſe à ſereniſſimo Bauariæ Duce prorogationem futuræ ſeſſionis: Et quia poſtulationi huic ipſe quoque ſereniſſimus Bauariæ Dux aſſenſum præbuerit, à colloquio, eo quidem antemeridiano tempore, ceſſandum eſſe.

Quod cùm planè nouum videretur, ſuſpicio non leuis erat, Aduerſarios, vtpote malè imprimis ſibi circa materiam proxima ſeſſione tractandum conſcios, quærere colloquio abruptionem, cùm præſertim antea ſatis animaduerſum fuerit, Prædicãtibus nihil in votis magis eſſe, quam vt colloquio honeſta, ſi qua fieri poſſet, ratione, finis imponeretur. Cum verò ſaltem à prandio exiſtimarem, progreſſum omninò habiturã diſputationẽ, neq; certè eorum, quæ Principes vtrinq: inter ſe agitarent, conſiliorum conſcius eſſem, ecce rurſus ex aula nouũ aduolat nũcium, nullam impoſterũ fore diſputationẽ; conuentum enim eſſe inter Seren. & Illuſtriſ. Principem, de fine colloquio imponendo. Hoc autem ita accidiſſe conſtat.

Cũ Prædicantes iam ab ipſo colloquij exordio, neq; ad formã dialecticã ſeruandã adduci, neq; ab illa ſua moleſtiſſima dictitatione, verborũq; inaniũ protenſione abduci poſſe, palàm omnes, tùm inprimis Ser. Bauar. Princeps, animaduerterẽt; & iã ante Prædicantes, per ſummã cõtumeliã, Pontificẽ Romanũ Eccleſiæ Catholicæ caput, procaciſſimè Antichriſtũ proclamaſſent; iuſta indignatione comotus Seren. Bauar. Dux, ſuam, vtpote Catholici Principis, præſentiã, huic Colloquio diutius impertiendam non eſſe duxit. Acceſſerunt etiam tùm negotia quædam publica, quæ moram non patiebantur, tùm deterior quædã corporis affectio. Itaq; Sereniſ. Bauariæ Dux miſſis ad Illuſtriſſimum Palatinum viris præcipuis, ei ſuo nomine amicè denũciari iuſſit ſibi tùm ob inua-

Digitized by Google

letudinem corporis, tùm ob incidentia quædam negotia, tùm quòd deſignato a b eo Colloquutores ad formã dialecticam ſeruandã, & dictationẽ illã moleſtiſſimam relinquendã, adigi nõ poſſe animaduerteret, tùm inprimis ob reuerentiã & beneuolentiã, quam ipſe velut Catholicus Princeps, & Eccleſiæ Catholicæ filius, Apoſtolicæ ſedi, ſacroq; Romano Imperio, eiuſq; Seren. & Illuſt. Catholicæ religionis membris, debere ſe, agnoſceret; nec integrũ, nec honorificũ, & decorũ eſſe, vt ei colloquio diutius interſit, in quo, tam ſuæ, quã ipſius quoq; Illuſt. Principis leges, tã contumaciter perfringerẽtur: & iam ſemel atq; iterũ per ſummam Prædicantiũ impudentiam, audienda fuiſſet inſignis illa in Apoſtolicam ſedẽ calumnia, quod Romanus Pontifex ſit Antichriſtus; & vero in proceſſu diſputationis, cũ ad Romanũ Pontificẽ deuentum eſſet, audienda foret ſæpius: Cũ interim contumelia illa non in ſui tantũ, & Apoſtolicæ ſedis, ſed etiam ſacræ Imperatoriæ Maieſtatis, omniumq; Catholicorũ ordinũ inſignẽ iniuriam vergeret. Itaque amicè ſuo nomine rogari Illuſtriſ. Palatinum voluit, vt bona pariter vtriuſq; voluntate, Colloquio finis imponatur. Hæc breuiter ſumma eſt eorum, quæ nomine Sereniſ. Bauariæ Ducis, Illuſtriſſimo Palatino ſunt propoſita.

Et quia difficile non fuit, impetrare ab Illuſtris. Principe, quod petebatur. Idcirco in diſputando amplius proceſſum non eſt; cum alioqui vt ſuperius dixi, Colloquutorib. Catholicis non ſolũ duæ claſſes argumentorũ penitus intactæ, reliquæ eſſent, ſed etiam duæ adhuc minimum ſeſſiones ad argumentandum iure debitæ: Et tamen Prædicantes, qui in ſinũ ſuum gaudebant, ſe iam hac quacunq; ratione imminens ſibi periculũ ab argumentis Catholicorũ euaſiſſe, hanc Catholicis poſtulationem proponere non ſunt veriti; ſe quidem non cupere, vt Catholici in argumentando vlterius procedant (quod ſanè cũ primũ audiui, facillimè credidi) ſed petere tamen, vt ſibi adhuc liceat, loca ſcripturæ noui Teſtamẽti ad ſuam theſin comprobandam producere, atq; ita diſputationẽ concludere. Sed negata eſt hæc vtiq; Prædicantiũ petitio; cum Colloquutores Catholici dicerent, ſibi, nõ Aduerſarijs ſuppetere ius poſtulandi, vt in argumentando procedere liceat: ad hæc, loca ſcripturæ noui Teſtamẽti nõ pauca eſſe producta; nihil ergò iure vlterius poſtulari poſſe. Sic ergò mutuo vtriuſq; Principis cõſenſu & volũtate Colloquio finis impoſitus eſt. Et ſanè ſi prædicantibus in Colloquio res ex animi voto ſucceſſiſſet, ſi argumentis ſuis, vt vaniſſimè & inſolentiſſimè gloriati ſunt, Catholicos conuiciſſent, ſi argumenta Catholicorum feliciter diſſoluiſſent, eaque in poſterum diſſoluendi, magnam animis fiduciam habu-

iſſent,

Digitized by Google

iſſent, tunc facile, parta victoria contenti ſiluiſſent;aut certè non iam argumentari,ſed arguméta quæ nobis reſtabant,diſſoluere poſtulaſſent, vt ordo diſputationis requirebat. Sed quando non iam, vt alioquin Diſputationis ratio poſcebat, argumentis noſtris vlterius reſpondere, ſed præter ordinem Diſputationis ſuam cauſam nouis argumentis ſuſtentare poſtularunt,ſatis hoc ipſo ſignificârunt,eam etiamnum ruinoſam,nec à ſe benè firmatam eſſe. Nobis quidem planè ea mens fuit,vt,cum in ſingulis argumentorum claſſibus, longè adhuc plura ſuppeterent argumenta ad cauſam noſtram comprobandam, pluribus tamen opus eſſe minimè judicauerimus, ad hoc ipſum etiam prudenti ſuaſione Sereniſſimi Bauariæ Ducis inducti; cum aliquando finita ſeſſione quadam ad Collocutores catholicos diceret: Ecquid opus eſt,ea de re plura argumenta adferre,cum allatis reſpondere Aduerſarij non potuerint?

Porrò quàm honorifica ſit eiuſmodi Colloquij abruptio Prædicantibus,quæ tùm ob perpetuam eorum,ac planè pertinacem illam, legum Colloquio præfixarum violationem,qua ſcilicet ad formam dialecticam nec in argumentando, nec in reſpondendo, adigi poterant,nec juxta conuenta, ab illa ſua moleſtiſſima dictitatione abſiſtere volebant, tùm ob inſignẽ illam eorum impudentiam & calumniandi libidinem accidit, ipſi viderint.Ego quid hac de re ſentiam,hoc ſolũ exemplo declarauero.

Nemo neſcit,quàm honorificè D.Piſtorius,quàm ignominioſè Iacobus Andreæ,& Iacobus Heerbrandus diſceſſerint ab illo Colloquio Badenſi, eò quòd Prædicantes etiam illic, ad formam dialecticam in diſputatione, juxta conuenta, ſeruandam, adigi non potuiſſent, ideoque Colloquium,cum vix quatuor ſeſſionibus duraſſet, ea de cauſa abruptũ eſſet; hac Catholicorum publica denuntiatione; omnes & ſingulos qui Colloquio interfuiſſent,de Colloquij abruptione interrogatos,nullam aliam abrupti Colloquij cauſam p̃tendere poſſe aut debere,quàm hanc; **die verdampte** dialectic **habe es gemacht** / quã ſcilicet Prædicantes, ſummo ſuo dedecore,in Colloquio refugerant:vt habetur in Actis eius Colloquij, ſeſſ. 4.

Quia verò non omnibus Acta illa legere integrum fuerit,deſcriptã hîc reddam concluſionem tantùm, ſiue Epilogum,in fine Colloquij, ab Illuſtriſſimo felic.memoriæ, Iacobo Marchione Badenſi habitum. Is igitur in hunc ſenſum, patrio tamen ſermone, ad præſentes Auditores conuerſus,Colloquium illud publicè concluſit: *Ex animo ſe dolere*,aiebat, *quod diſputationem ita præter ſpem abrumpi videret: Et quamuis ad id quidẽ*

vſq; tempus addictus fuerit Auguſtanæ Confeſſioni, atq; etiamnum ſit, ſe tamen non poſſe non fateri, tùm à ſe, tum à Doctore Piſtorio, ſemper ab Aduerſarijs poſtulatum fuiſſe, vt probationes ex ſcriptura quidem, ſed forma dialectica proponerentur: Quod ipſũ quoq; Domini Theologi Vvirttenbergenſes ante diſputationem nunquã, vel leuiſſimo ſigno, recuſarint facere. Et addit non ſine peculiari energia verborum: **Vnd da ſie es je nit zuthun gemaint geweſen/ hetten ſie wol mögen daheimb bleiben. Auch ſich ſelbſten / vnd vns alles diſes vnkoſtens vnd vergebner mühe enthebt haben.** Sic igitur Prædicantes illi pro meritis dimiſſi abſceſſerunt.

Quibus ſi tam ignominioſa fuit illius Colloquij abruptio, ob hoc ſolùm, quòd ad formam ſeruandã adigi non potuerint, quantò probroſior erit noſtris Aduerſariis, quandò veriſſimè omnibus de Colloquij abruptione percontantibus reſponderi à quolibet poteſt, non ſolùm; **die verdambte** dialectic **habe es gemacht**/ ſed etiam, **die vnuerſchämpte Leſterzungen der Predicanten haben diß** Colloquium **zertrennt.**

Neq; verò ſe Aduerſarij ſuo illo dicto tueri poſſunt; *In noſtris Eccleſiis non eſt iniuria, &c.* Inprimis enim etiam in veſtris Eccleſijs id eſt iniuria, licet pro iniuria, errore veſtro, minimè habeatur: cum iniuria vtiq; non deſinat eſſe iniuria, quòd in Eccleſijs veſtris patratur, niſi fortè tam iuſti eſtis, vt etiam iniuriam in Ius transformare poſſitis.

Deinde quid eſt illud, in præſentia Catholicorum Principum, ſummo Eccleſiæ capiti, quod Imperator Catholicus, Catholiciq; omnes humillimè pro ſuo ſummo Paſtore venerantur, turpiſſimum illud conuitium imponere, & impoſitum, tanquam belle dictum, defendere velle: vtpote quod ideò ſolum pro conuitio habendum non ſit, quia in veſtris, Synagogis potius, quàm Eccleſijs, decreuiſtis conuitium non eſſe? Ita ne verò veſtris eiuſmodi loquendi formulis ſtandum erit, vt quod calumniam eſſe decreueritis, id ſolùm pro calumnia habeatur, quod verò calumniã non eſſe decreueritis, hoc ipſo, licet conuitium ſit maximum, patienter ſuſtinendum ſit?

Si Catholici vos in Colloquio hæreticos, peſtes patriæ, animarum prædones; Lutherum veſtrum, mendacem & libidinoſum ſcurram, perfidum monachum, ſacrilegum apoſtatam, hæreſiarcham &c. appellaſſent, an vos id patienter eſſe laturos arbitremur? Et tamen ea certè non magis, imò adhuc minus habetur iniuria in noſtris Eccleſijs, quàm in veſtris, quòd Papa dicatur Antichriſtus. Sanè in confeſſione Auguſtana, hic tam neceſſarius fidei articulus (Aduerſariorum opinione) non habetur

betur

betur. In Articulis Schmalcaldicis, tametſi Papa pro Antichriſto vaniſſimè proclametur, ijs tamen Philippus non abſq; limitatione ſubſcripſit his verbis: *Ego Philippus Melanchthon, ſupra poſitos articulos approbo, vt pios & chriſtianos. De Pontifice autem ſtatuo, ſi Euangelium admitteret, poſſe & propter pacem & communem tranquillitatem Chriſtianorum, qui iam ſub ipſo ſunt, & in poſterum erunt, ſuperioritatem in Epiſcopos, quam alioqui habet, iure humano etiã à nobis permitti.* Ecce quid de Apoſtolica ſede decreuerit Phil.

Quod ſi Eccleſiam præciſè cum Eccleſia conferamus, noſtram cum veſtra, certè noſtra prior, auguſtior, amplior, diuturnior, atq; adeò in omnibus potior eſt veſtra, ita vt vos potius noſtræ, quam nos veſtræ loquendi formulæ aſſueſcere debeatis. Itaq; maneat hoc firmũ, die verdampte Dialectic/ vnd vnuerſchämpte Läſterungen der Predicanten haben diß Colloquium zertrennt. Neque hoc, aut re ipſa, aut in noſtris Eccleſijs, eſt iniuria, ſed veritatis confeſſio.

CAPVT V.

VERITATEM CATHOLICAM IN hoc Colloquio viciſſe, etſi hoc minimè, aut agnoſcant, aut fateantur Aduerſarij.

DVo erant præcipua huius diſputationis capita, de quibus diſceptandum erat. Primum, Scriptura ne ſit iudex omnium cõtrouerſiarum religionis, excluſa interim communi & infallibili aliqua Eccleſiæ autoritate. Alterum, an ſit etiam vnica & ſola norma &c. Et quidem Aduerſariorum, vtrumq; affirmantium, vanis & friuolis obiectionibus ſufficienter à Catholicis reſponſum eſſe, tum ex Protocollo, tùm ex ijs, quæ prima parte à me dicta ſunt, abundè colligi poteſt. Neq; circa noſtrorum argumenta, hic animus eſt, ſingula denuò retexere, vt oſtendam, nullum eorum ſolidè vnquam diſſolutum ab Aduerſarijs fuiſſe, in hoc enim tùm ad ea, quæ ſuperius à me breuiter dicta ſunt, tùm ad ipſum Protocollum me refero, neq; dubito cum S. Auguſtino in Breuic. collat. contra Donatiſtas dicere; *Non potuiſſe eos* (Aduerſarios) *reſpondere, qui vtraq; legere & conſiderare voluerit, comperiet.* Sed hoc ſolùm breuiter hic referre placuit, qua ratione Aduerſarij ipſi vi argumentorum adacti, Catholicam veritatem, de qua diſceptabatur, fateri, & contra ſe pronunciare ſententiam debuerint.

Itaque

Itaq; circa primum illud diſputationis caput, An videlicet ſcriptura ſacra ſit Iudex omnium controuerſiarum : intelligendum eſt initio, quæ nam in ipſo ſtatim Colloquij exordio fuerit Aduerſariorum, hac de re ſententia, quam non aliundè, quàm ex ipſorum proprijs theſibus, quas in hoc Colloquio defendendas ſuſceperant, patefaciam. Sic autem ad verbum habet theſis Aduerſariorū ſecunda. Idipſum (verbum Dei ſcriptum) CONTROVERSIARVM RELIGIONIS OMNIVM, *inter eos præſertim, qui Chriſtianorum nomen ſibi vendicant, Iudicem, aut ſanè vocem Iudicis ſupremi, quem omnes agnoſcere, timere, ac venerari tenemur, conſtituimus.* Vbi diligenter notandum, quòd ſcripturam ſacram OMNIVM CONTROVERSIARVM RELIGIONIS Iudicem faciunt. Iam videamus, an nō vi argumentorum adacti confiteri tandem debuerint, eſſe aliquas controuerſias religionis, quæ ſola quidem ſcriptura Iudice, dijudicari non poſſint: ac proinde ſcripturam ſacram non eſſe Iudicem omnium controuerſiarum religionis.

In Seſſione igitur decima, cùm vrgerent noſtri ſuum inſtitutum, inter alias controuerſias, quæ ſcriptura Iudice, dijudicari non poſſint, produxerant etiam hanc controuerſiam, quæ in Eccleſia aliquando oriri poteſt, an videlicet hic vel ille liber ſit Canonicus, & verbum Dei, quā conſtat vtique eſſe controuerſiam religionis, & tamen ex ſola ſcriptura ſufficienter dijudicari non poſſe. Hìc ſtatim Hunnius, cum ſe effugere non poſſe videret, quia negare non poterat, hanc cōtrouerſiam aliundè, quàm ex ſcriptura dijudicandam eſſe, vtpotè qui iam in prima ſtatim Seſſione vltrò conceſſerat, hanc eſſe traditionem quandam non ſcriptam, quæ etiam in veteri Teſtamento admittenda fuerit, multò verò minus negare poſſet, eſſe controuerſiam religionis: diſtinguere cœpit de controuerſijs religionis, *alias enim eſſe quæ concernant articulos & dogmata fidei, alias quæ traditionem aliquam ſolùm hiſtoricam.* Iam ſe concedere quidem, hiſtoricas traditiones aliquas non ſcriptas eſſe admittendas, atque adeò ſcripturam non eſſe judicem omnium cōtrouerſiarum religionis, quæ hiſtoricam ſolùm eiuſmodi traditionem concernant; attamen ſcripturam nihilominus eſſe Iudicem omnium controuerſiarū religionis, concernentium articulos & dogmata fidei, cum illa traditio, quòd Euāgelium V.G. S. Matthæi ſit Canonicum, & verbum Dei, non ſit articulus & dogma fidei.

Ita enim habent verba Hunnij, ſeſſione 10. cum illa quæſtione à noſtris premeretur. *Ad alterum,* inquit, *de Euangelio Nicodemi dicimus, quòd illud*

Digitized by Google

illud Euangelium referens nomen Nicodemi, non ſit Euangelium (canonicum) PROBARI POSSE TESTIMONIO PRIMITIVÆ ECCLESIÆ: PROINDE NON SVM IN OPINIONE, QVA SIMPLICITER OMNES TRADITIONES REIIÇIAMVS, *ſemp enim præcedentibus diebus addita eſt hæc determinatio, quòd reprobentur traditiones illæ, quæ complectuntur* ARTICVLOS ET DOGMATA. *Iam Euangelium illud venditatum ſub nomine Nicodemi, non eſſe Nicodemi non eſt articulus fidei, non dogma.* DISTINGVO ERGO *inter duplices traditiones, quarum aliæ ſunt* HISTORICÆ, *alia verò* DOGMATICÆ. *Et quod attinet cenſuram ſacrarũ ſcripturarum noui teſtamenti, tùm Canonicarum, tùm apocrypharum, certum eſt, eam Eccleſiæ cenſurã pertinere non ad ipſa per ſe dogmata, ſed ad hiſtoriam; neq; poſſe per teſtimoniũ illud Eccleſiæ nouum aliquod & peculiare procudi dogma, quod deinde aſſuendũ ſit cæteris dogmatib⁹ in ſcriptura expreſſis* &c. Et rurſus infrà. DISTINGVENDVM EST, inquit, *inter controuerſias. Controuerſia vox interdũ refertur ad ipſa dogmata & articulos comprehenſos in iis ſcriptis; de quibus teſtificatur Eccleſia, & hac ratione ſola ſcriptura, eſt omnium controuerſiarum religionis, concernentium ipſos articulos fidei, Iudex. Iam verò quando infertur; Ergò ſcriptura* NON EST SOLA IVDEX OMNIVM CONTROVERSIARVM, *manifeſtum eſt, controuerſias in concluſione notatas referri ad traditionem illam hiſtoricam, qua Eccleſia definit; hunc vel illum librum eſſe Pauli, non eſſe Nicodemi. Itaq; omnium & ſingularum controuerſiarum, quæ attingunt* ARTICVLOS IPSOS, *Iudex eſt ſacra ſcriptura.*

Habemus ergò, quod ſcriptura NON SIT IVDEX OMNIVM CONTROVERSIARVM RELIGIONIS. Quid ergò amplius requirimus? Et notandum, quod Hunnius etiam infrà vlterius confiteri debuerit, quæſtionem illam, aliundè, quàm ex ſcriptura definiendam, an Euangeliũ S. Matthæi ſit Canonicũ &c. non tantùm eſſe qualemcunq; religionis cõtrouerſiam, ſed omninò talem, vt, qui pertinaciter neget Euangelium S. Matthæi, eſſe Canonicum, HÆRETICE ERRET. Vbi rurſus concedit, hæreticum eſſe etiam eum, qui aliquid in ſcriptura nõ expreſſum neget, ac proinde ſcripturã NON ESSE IVDICEM OMNIVM CONTROVERSIARVM FIDEI. Quid tibi videtur Lector, an non ſic Hunnius apertè Catholicis palmã ceſſit? Ego certè nobis eam velut conceſſam vendico, An iure, TV IPSE IVDICA. Sed circa alterum diſputationis caput: An ſcriptura ſit vnica norma fidei &c. Aduerſarios apertius adhuc victos, & velut vinctos iam poſt tergũ manibus, tibi ſiſtã. Rurſus autẽ initio præmittendum eſt, quænam ante omnem digladiationem fuerit, & alioquin eſſe ſoleat, Aduerſariorum ea de re ſententia, proprijs theſibus expreſſa,

Digitized by Google

Sic enim habet prima eorum theſis in Colloquio prælecta. *Verbum Dei, Prophetarum, Euangeliſtarum, & Apoſtolorum ſcriptis comprehenſum*, DOCTRINÆ, CVLTVS, AC FIDEI CHRISTIANÆ VNICAM, *certam, atq; infallibilem normam, regulam, ac menſuram, cui propter ipſum Deum authorem, fides per ſe habenda ſit, indubitanter agnoſcimus.*

Sic ad verbum theſis: Vbi audis Lector, conſtitutam ab illis ſcripturam eſſe velut VNICAM NORMAM DOCTRINÆ, CVLTVS, AC FIDEI CHRISTIANÆ.

Sed iam videamus, an non hanc ipſam ſuam ſententiam retractare coacti fuerint. Certè ſeſſione 11. apertè rurſus, vel inuitus, concedere debuit Hunnius FIDE DIVINA, INFALLIBILI ET CATHOLICA & quidem EADEM ILLA FIDE qua credimus myſterium TRINITATIS ET INCARNATIONIS, credendũ eſſe, ſacrorũ Bibliorum Codicem eſſe canonicnm, licet id quidem ex SOLA SEV VNICA SCRIPTVRA non ſufficienter colligatur.

Rurſus ſeſſione 13. ea occaſione, quàm ſuperius memoraui, cum per horam aut amplius perpetuò vrgerentur Aduerſarij, vt ad hanc vnicam quæſtionem apertè & disertè reſponderent, *ſitnè* ALIQVID *fide diuina & infallibili credendum, quod nec ſcriptum apertè extet, nec ex ea ſola euidenter colligatur*, QVOCVNQVE *tandem id nomine appelletur*, tandem, licet non niſi poſt incredibilem tergiuerſationem, confiteri debuerunt, ESSE OMNINO ALIQVID NECESSARIO CREDENDVM *tanquam hiſtoriam à Spiritu Sancto* TRADITAM, *& quidem fide infallibili, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habeat, &c.* quæ Hunnij fuit aperta & diſerta confeſſio, vt norunt omnes, qui diſputationi præſentes interfuerunt. Et habetur non ſolùm in Protocollis à Notariis Bauaricis ſeorſim exceptis, ſed etiam in Protocollo illo cõmuni & authentico, ex aliis Protocollis, vtriuſque Principis authoritate, congeſto, ita quidem, vt nihil obſtante leui litura qua vox TRADITA oblita eſt, ab omnibus euidenter legi poſſit, licet per incredibilem Aduerſariorum fraudem, pro particula, TRADITAM, ſuppoſita poſteà in reuiſione fuerit particula DESCRIPTAM, cum eos ſuæ tam apertæ confeſſionis puderet. De quo rurſus capite ſequenti. Iam nos hanc confeſſionem libenter acceptamus, & obuiis quoque in ipſo colloquio acceptauimus. Vnde etiam contra Aduerſarios à nobis palam proclamatum fuit, falſam proinde eſſe, non ſolùm theſin eorum qua dixerant, ſcripturam eſſe VNICAM NORMAM DOCTINÆ FIDEI, cum iam tamen ALIQVID NON SCRIPTVM DIVINA FIDE CREDENDVM docuerint; ſed etiam

omnia

omnia quæ ex locis præſertim Deute. contra traditiones Eccleſiæ catholicæ producta fuiſſent, falsò & CONTRA CONSCIENTIAM ab eis producta fuiſſe. De qua re IVDICIVM DEO, ECCLESIÆ ET TOTI AVDITORIO commiſſum eſt, vt nunc etiam tibi, Lector amice, committo.

Quam enim obſecro excuſationem prætendere valeant Sectarij? An quòd in illis locis Deuteronomij ſolùm excludantur illi, quos Aduerſarij vocant articulos & dogmata fidei? Sed nihil in illis locis de articulis fidei aut cultus, & aliis rebus credendis diſtinguitur, nec illi magis, quàm iſtæ excluduntur. Et ſi hoc ita eſſet, cur multas traditiones Eccleſiæ V. G. de tranſubſtantiatione panis in Euchariſtia, de cultu imaginum, inuocatione Sanctorum, purgatorio, &c. vel hoc etiam nomine rejiciunt, quòd ſcriptæ non ſint? cur omnia quæ credimus, aut obſeruamus, à nobis ex ſcripturis probari cupiunt, vt id initio diſputationis ipſi requirebant? cur in theſi ſimpliciter aſſeruerunt, ſcripturam eſſe VNICAM NORMAM DOCTRINÆ FIDEI? Cur abſolutè infallibilem Eccleſiæ authoritatem rejiciunt? An in articulis quidem & dogmatibus fidei, & cultuum, fallere, & falli (abſolutè loquendo) poteſt, in aliis rebus fidei, minoris momenti, non poteſt? Ecce vides profectò, Lector, Aduerſarios ſuamet confeſſione conſtrictos teneri; & à Catholicis quaſi mancipia, bello capta, in triumpho circumduci poſſe. Sed non libet miſeris acrius inſultare. Ipſi ſi volunt, vel liberè, pereant, alij autem ſi qui eorum ductu ſeducti ſunt, à victis & vinctis, oro, ſe teneri diutius non patiantur.

Neq; verò quemquã illud mouere debet, quòd Aduerſarij ſe victos in hoc colloquio eſſe non fateantur, quin potiùs ipſi victoriam iactitent. Id enim Hæreticorum ſuperbiam duntaxat, cum inſigni arrogantia coniunctam, redarguit, qua licet maximè victi, non ſolum victoriam victoribus non tribuant, ſed eam ſibi quoque arrogare non vereantur. Et quis audiuit vnquam, in vlla diſputatione, vel colloquio, Hæreticos, quamdiu quidem tales eſſe non deſierunt, ingenuè fuiſſe profeſſos, ſe ab orthodoxis eſſe conuictos?

Diſputauit cum Phariſæis & Sadducæis Chriſtus, ſed ab Aduerſariis pro victoriæ laude calumnias & blaſphemias reportauit Ioan. 8. & alibi paſſim. Certauit cum Simone Mago Petrus, eumque non ſolùm validiſſimè conuicit, ſed etiam contriuit, ſed victi tamen vocem vi-

Digitized by Google

ctus Simon edidiſſe nullam legitur. Diſſeruit de fidei myſterijs in Areopago Paulus Actor. 17. ſed quis victoriam ei ceſſit, niſi qui in eius etiam ſententiam, depoſita infidelitate, conceſſit, Dionyſius Areopagita cum paucis? Alij verò *cùm audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dicebant, audiemus te de hoc iterum.* Diſputauit quoque cum Phariſæis cæcus ille, iam non cæcus, ſed corpore ſimul & animo à Chriſto illuſtratus, & ſanè conuicit. Sed quam ab hoſtibus palmam reportauit? *Tu in peccatis*, inquiunt, *natus es totus, & tu doces nos?* Ioan. 9.

Conuicti ſunt vtique in quatuor illis vniuerſalibus ac celeberrimis conſilijs Hæretici ſufficienter. In Nicæno Arius, in Conſtantinopolitano Macedonius, in Epheſino Neſtorius, in Calcedonenſi Eutyches, cum ſuis quiſque aſſeclis, ſed victos ſe vſque adeò confeſſi non ſunt, vt contra victores etiam inſolentius inſurgerent.

Diſputauit cũ Donatiſtis Auguſtinus, alijs Catholicis Epiſcopis aſſociatus, eoſque ita conuicit, vt etiam Cognitor, ſeu arbiter ab Imperatore deſignatus, apertè contra Donatiſtas ſententiam protulerit, vt videre eſt in Breuiculo collationum cum Donatiſtis, quem de hoc ipſo Colloquio conſcripſit Auguſtinus, ſed tantum aberat, vt Donatiſtæ ſe conuictos faterentur, vt ipſum quoq; cognitorem aperta calumnia impetere non ſint veriti; quaſi verò à Catholicorum parte corruptus, iniuſtè contra ſe pro Catholicis, ſententiam tulerit, vt videre eſt apud Auſtinum ibid. & Epiſt. 152. Diſputauit quoq; idem Auguſtinus cum Felice Manichæo, ſed nec iſte Auguſtino prius palmam conceſſit, quàm à ſuo errore deceſſit, vt videre eſt in actis ab Auguſtino editis.

Diſputauit quoq; cum Hæreſiarcha Chonarum Theodorus Studites, vir ſanctiſſimus & doctiſſimus: ſed finita diſputatione, quid de illo Aduerſarius? *Ita putabam*, inquit, *hunc penitus nihil ſcire: Sed & elinguem eum reddidi*; vt videre eſt ex Epiſtola, quam ipſe Theodorus ſcripſit ad Naucratium, relata ab Illuſtriſſimo Cardinale Baronio tom. 9. Annalium Eccleſ.

Collocuti ſunt Anno 1465. Doctores Catholici, (inprimis Decanus Capituli Pragenſis) de controuerſia illa vnius ſpeciei, cum Rochizanno, & aliis VVicleffiſtis hæreticis, quos etiã de errore egregiè conuicerunt. Sed quid in fine Colloquij Rochizannus? *Tunc Rochizannus locutus eſt ſermonem longiſſimum, omnia priora replicans, gloriando ſe victorem eſſe iam altera vice contra Raguſium, & iam contra Doctores* &c. Vt videre eſt ex

Actis

Actis eius Colloquij, quæ nondum typis euulgata, pro eximia ſua beneuolentia & humanitate mihi communicauit admodum Reuerendus & Magnificus Dominus Georgius Lauterius, S S. Theologiæ Doctor, & Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ B. Virginis Monachij.

Sed quid antiqua memoro? cùm eius rei luculentiſſima præſens ætas præbeat documenta. Diſputauit Anno 1519. Lipſiæ cùm Luthero & Carolſtadio doctiſſimus Eckius, diſputauit quoque fæliciſſimo euentu inuictus idem diſputator Badæ apud Heluetios, Anno 1526. cum Oecolampadio: Diſputarunt Anno 1546. Ratisbonæ Maluenda & Billikius Theologi Cæſarei, viri doctiſſimi, cũ Bucero & Brentio. Diſputauit Anno, 1589. cum Iacobo Andreæ & Iacobo Heerbrando, D. Ioannes Piſtorius vir doctiſſimus & diſertiſſimus; diſputarunt inquam, iſti omnes cum Aduerſarijs & Hæreticis noſtri temporis, nec niſi conuictis, aut egregiè confuſis Aduerſarijs, & quando tamen Aduerſarij vnquam ſe cõuictos eſſe confeſſi ſunt, quando victoriam non impudenter ſibi arrógare ſunt auſi?

Certè quidem in illo ipſo Colloquio Ratisbonenſi, quod anno 1546. authoritate Caroli V. Imperatoris laudatiſſimi; à Theologis Cæſareis, coram deſtinatis nomine Cæſareo Præſidibus Catholicis, indicto etiam vtriq; parti ſilentio, ne Acta Colloquij euulgarentur, in illo inquam Colloquio, ex quo Bucerus cum ſuis, contra Cæſaris voluntatem, profugêre potius, quàm abiere, conſtat, rumore falſo, paſſim per Germaniam ſparſum fuiſſe, Catholicos Proteſtantibus in ea diſputatione ſuccubuiſſe, vt ex ipſa ſummaria relatione Actorum eius Colloquij, nomine Imperatoris, germanicè edita, videre eſt, vbi in Actis diei 22. Febr. hæc habentur verba; Wiewol das Geſchray in wenig tagen hin vnd wider hinauß geſlogen iſt (vnd das ware der gut Glaub / die ſach dieſes geſprechs in gehaim zu behalten) daß die Catholiſchen ſeyen von Proteſtierenden vberwunden worden / vnd Maluenda ſey dermaſſen vom Butzer in angſt vnd noth getrieben vnd eingethan worden / daß er gefangen vnd darob erſtumpt ſey. Diß geſchrey iſt bald ſo weit erſchollen an alle ort / daß daruon Brieff auß Augſpurg gen Regenſpurg kommen ſeindt / die von eim guten Freundt / die rechte warheit begerten.

Et quid dico de diſputationibus orthodoxorum cum hæreticis, quando idipſum quoque in diſputationibus, quas ipſi inter ſe mutuò habuerunt hæretici, eueniſſe conſtat? Quænam enim pars in Colloquio Marpurgenſi, Ann. 1529. quando Lutherus cum Zvvinglio & Oecolam-

padio de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia diſputabat, alteri palmam ceſſit? Quænam in Colloquio Maulbrunnenſi, Ann. 1564. quando Vvirtenbergenſes, cum Palatinis Electoralibus de eadem re diſceptabant, & finito eo colloquio ſe mutuò ſcriptis egregiè lacerabant? quænam in Colloquio Altenburgenſi Anni 1568. & 1569. quando ex eadem Saxonia, Flacciani cum Adiaphoriſtis ſeu Maioriſtis de articulo Iuſtificationis, per quinq; ferè menſes, ſumma contentione, ita depugnabant, vt tandem nec de norma quidem fidei & religionis conuenire poſſent? quænam in Colloquio Mompelgartenſi, Ann. 1546. quando Proteſtantes cum Beza & Caluiniſtis diſputarunt: quænam in Colloquio Argentoratenſi, Ann. 1571. quando Iacobus Andreas cum Illyrico de peccato originis: quænam in ſimili colloquio, quando de eadem re, cum eodem Illyrico apud Sileſios in arce Langenauu, Ann. 1574. diſputabat Colerus? quænam, inquam, pars alteri tanquam victrici palmam vnquam ceſſit? Quis vnquam ſe victum eſſe, profeſſus eſt, quis non viciſſe gloriatus? Vno vt dicam, verbo vicerunt ſemper ſua ſententia omnes, Aduerſariorum quiſque ſuorum iudicio nullus. Et iam in hac diſputatione expectemus primum, vt hæretici victores ſe non iactitent, ſed ſe victos eſſe profiteantur? Hoc eo demùm anno ſibi aliquis perſuadeat, quo AEthiopes nigri, hæretici mendaces & impudentes non eſſe, cœperint.

CAPVT SEXTVM.

QVIBVS ARTIBVS ADVERSARII Colloquium hoc Ratisbonenſe inchoarint, continuarint, & concluſerint.

INgenita hæc omnibus hæreticis indoles eſt, vt quandoquidem ſemel à veritate diſceſſerunt, nec veris falſa tueri poſſunt, fallacijs ac fraudibus, quacunq; impunè poſſunt ratione, ſua tueri ſatagant. Quapropter ſancti Patres eos non rarò *vulpibus* comparant, eoſque intelligunt eſſe illas ipſas *vulpeculas*, de quibus in cant. cap. 2. fit mentio: *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Omnes hæretici*, inquit Hieronymus, lib. 4. comment. in Ezech. ad cap. 13. *propter fraudulentiam ac nequitiam vulpium ſimiles ſunt*. Et addit in fine: *Quæcunq; egerunt*

Digitized by Google

runt & agunt, plena mendaciis ſunt. Hoc veriſſimum eſſe compererunt S. Auguſtinus, alijq; Catholici Epiſcopi, qui initio ſtatim diſputationis, Donatiſtas, cum quibus, diſputabant, in aperto mendacio deprehenderunt, quod etiam Auguſtinus, vt Aduerſarijs etiam inter ſuos fidem adimeret, ad populum Donatiſtarum ſcribens, diligenter commemorauit, his verbis: *Cum,* inquit, *in auribus noſtris fama crebreſceret, hoc vobis veſtros Epiſcopos dicere: Cognitorem præmio fuiſſe corruptum, vt contra eos ſententia proferretur; vos autem iſta facilè credere, ac propterea multos veſtrum adhuc nolle acquieſcere veritati: Placuit nobis, cogente charitate, ex conſilio noſtro hæc ad vos ſcripta dirigere, quibus primitus admoneremini, illos vobis victos atque conuictos, hæc mendacia iactitare, qui etiam in ſuo mandato, quod pro illa collatione fecerunt, & ſuis ſubſcriptionibus ac nominibus firmauerunt, nos illic traditores ac perſecutores ſuos eſſe dicentes, in falſitate atque mendacio detecti atque conuicti ſunt: Ita vt volentes gloriari de multitudine Epiſcoporum, inter aliquorum abſentium nomina, etiam mortui nomen insererent, & cum quæreretur, vbi eſſet, ſubita perturbatione cæcati, ipſi eum confiterentur in itinere defeciſſe. Et cum interrogarentur, quomodo potuerit apud Carthaginem ſubſcribere, qui in itinere iam defecerat, vehementius perturbati alio mendacio ſe obligauerunt, reſpondentes, eum Carthagine redeuntem fuiſſe defunctum. De quo mendacio exire omninò minimè potuerunt. Ecce quib. creditis, vel de antiqua traditione, vel de Cognitoris corruptione, qui mandatum ſuum, vbi nobis obiecerunt crimen traditionis, non potuerunt conſcribere ſine crimine falſitatis.* Hæc Auguſt. de ſuis Antagoniſtis.

A noſtris quid in hoc genere callidæ artis experti ſimus, his exemplis, Lector, addiſces. Et initio quidem diſputationis, egregiè ſimulare & diſſimulare ab Aduerſarijs in vitio, vt apparet, non ponebatur. Cum enim, vt ſuperius etiam ſignificaui, tam Sereniſſimus ipſe Bauariæ Dux, quàm Catholici Collocutores, paulo ante condictum diſputationis diē, diſertum ab Aduerſarijs reſponſum exigerent, datis etiam hac de re ad ipſum illuſtriſſimum Palatinum literis; velintne omninò inter diſputandum forma ſyllogiſtica ſiue dialectica procedere; eamque proinde conditionem, quam hactenus tantoperè refugerant, acceptare; ſibi enim alioquin minimè conſtitutum eſſe, ad diſputationem accedere, &c. Aduerſarij non tantum, ne minimo quidem ſigno, hanc petitionem recuſarunt, ſed etiam diſertè reſponderunt, ſibi nunquam aliter conſtitutum fuiſſe, quàm formam legitimam inter diſputandum obſeruare.

Qua

Qua ſpe quoque & pollicitatione mox euocatus Sereniſſimus Dux,cũ ſuis Collocutoribus, abſque mora ad conſtitutum diſputationis locum conuolauit,vt ſi mens prædicantium cum verbis conueniret, diſputatio fœliciter peragerețur. Ventum & conuentum eſt ab vtraque parte,nec ante diſputationem vnquam,vel minimo ſigno, declararunt Aduerſarij, ſibi propoſitum eſſe acceptatæ ſemel conditioni non ſtare, ſeu formam ſyllogiſticam ſiue dialecticam non obſeruare. Quid? quod etiam in legibus collocutorum, quas communi poſtea conſenſu acceptatas,ipſimet conſcripſerant, hanc quartam legem poſuerunt; *Collocutores argumenta ſyllogiſmo,vel alia in Logicis probata argumentandi forma includant* : Et in lege quinta, *Ad quæſita reſpondeant diſertè affirmando, vel negando,vel diſtinguendo*:vt planè exiſtimares minimè falſam & ſimulatam fuiſſe promiſſionem illam à Prædicantibus factam; ſed euentus ſimulationem detexit. Quod enim Prædicantes nunquam in animo habuerint,formam dialecticam ſeu ſyllogiſticam in hac diſputatione ſeruare, tùm res ipſa, tùm frequentes contra eam proteſtationes, de quibus ſuprà ſuo loco dictum eſt,apertum fecerunt.Neque verò rem leuis momenti attinebat hæc ſimulatio, ſed illam planè conditionem, ſine qua,cum Aduerſarijs vtiliter diſputari non poſſe, ſuprà demonſtratum; qua proinde non acceptata,tam ipſe Sereniſſimus Princeps,quàm Catholici Collocutores, ſe ad hanc diſputationem non eſſe venturos, palàm & apertè profitebantur. Ab hac ergò ſimulatione initium diſputationi fecerunt Prædicantes.

Sed quid in progreſſu? accipe de ſingulis Collocutoribus,vnum tantum vel alterum vanæ loquacitatis exemplum; nam omnia ad amuſſim perſequi nimis longum foret. Et quidem in hoc genere inſigne eſt illud cuius etiam ſuprà mentio facta eſt, Hailbronneri in ſeſſione 5. vbi cum pridie,ſeſſione videlicet 4.temporis anguſtiis excluſus,ad quædam eius argumenta non reſpondiſſem,ſed initio primũ ſeſſionis quintæ id præſtitiſſem,palam & publicè dicere auſus eſt, me ſuis argumentis *conſtrictum pridie ad ea reſpondere non potuiſſe, atq; ideò ad ambages diuertiſſe & conatum eſſe reſpondere hodiè, quod non potuerim heri*; tanquam ſi videlicet longa præmeditatione aut pernoctatione opus fuiſſet, ad eius vaniſſimas nugas exſibilandas. Quod ſanè manifeſtè falſum erat; cum palàm eſſet omnibus,mihi tempus duntaxat, non facultatem reſpondendi defuiſſe, ipſumque Protocollum eius rei præbeat luculentum teſtimonium,ex quo ad finem vſque præcedentis ſeſſionis me continuò locutum

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, eidemque meis reſponſionibus finem impoſuiſſe, apertè liquet, vt nulla planè probabilis ratio eſſet, cur vel ſuſpicari quiſquam poſſet, mihi pridiè, ob difficultatem obiectorum argumentorum, reſpondendi facultatē defuiſſe. Quocirca eundem Hailbron. de hac confidenti audacia (dicere potius debebā vaniſſima loquacitate) in ipſo colloquio palam notaui & cōuici.

Hunnij vanitatem hoc inter alia demonſtrat. Conſtrictus aliquoties cum ſuo Hailbronnero noſtrorum argumentis, vt quacunque demùm ratione elaberetur, nobisque, ſaltem Principum authoritate interpoſita, ſilentium imponeret, & ius argumentum proſequendi adimeret, hac fraude nonnunquam vſus eſt; in ſpecie verò ſeſſione 14. *Juſſus ſum*, inquit, *à Sereniſſimis, & Illuſtriſſimis Principibus hoc argumentum concludere:* Cum tamen Sereniſſimi Principes ei nihil quidquam hac de re vnquam mandaſſent; nec vtiq; Illuſtriſſimi Principes propoſitum à nobis argumentum concludi ab eo, ſed aperiri potius & ſolui præcepiſſent. Sed vt Illuſtriſſimorum Principū mandatum non rectè interpretatus eſt; ita Sereniſſimis mandatum aliquod falsò affinxit, non abſque graui ipſorum Sereniſſimorum Principum iniuria, quaſi verò ipſi, Catholici vtique Principes, argumenta Catholicorum abrumpi potius, quam ſolui vellent. Notaſſem ego hoc figmentum, & taxaſſem in ipſo Colloquio, ſed quia poſtea comperi primùm, figmentum eſſe, ideo tardius quidem, ſed citius tamen, quàm vellet Hunnius, notandum venit.

Omitto illud alterum eiuſdem, ſeſſio. 10, quo dicebat, quatuor à nobis fuiſſe argumenta propoſita, & nullum ex ſcriptura; cum primum argumentum noſtrum ex ſcriptura petitum fuerit; nec quicquam ibi prætermiſſum, niſi quod ſcripturæ teſtimonia, irrito labore, ad longum recitata non fuerint, probando Aduerſariorum more, operosè id, quod nullus negarat, neq; negare poterat. Taceo etiam plura alia, quæ hic adferri poſſent, vt & illam nouam vtriuſque Colloquutoris ſimulationem, qua nouam illam legem, de non dictando ad calamum, vtriuſque tam Sereniſſimi, quam Illuſtriſſimi Principis authoritate latam, acceptare ſe ſimularunt, cum interim minime conſtitutum haberent, eius decreto ſtare, vt euentus declarauit; cum à dictando nunquam abſiſterent, licet etiam à Sereniſſimo Principe ſeſſion. 13. eo de re palam moniti.

Finito autem Colloquio, præcedentia illa ſuæ calliditatis facinora nouo quodam ſtrategemate egregiè cumularunt. Rem ſanè miram narrabo, quam, niſi euidentiſſimis ſignis demonſtratam, nemo dicere poſſet, nemo credere. Seſs. 13. poſt diuturnam & planè incredibilem tergiuerſationem, eo tandem adacti fuerant Aduerſarij, vt palam, contra ſuam apertam theſin, vt

ſupra dictum, admittere cogerentur, eſſe omninò aliquid fide diuina & infallibili credendum, quod tamen nec apertè in ſcriptura extet, nec ex ea ſola euidenter deducatur; extabatque eius rei ante Protocolli reuiſionem aperta confeſſio, qua Hunnius ad quæſtionem illam ſibi propoſitam, annè omninò aliquid fide diuina & infallibili credendum ſit, quod tamen nec in ſcriptura apertè extet, nec ex ea ſola euidenter deducatur, his verbis reſpondit: *Multoties reſponſum eſt, eſſe aliquid neceſſariò credendum, tanquam hiſtoriam à Spiritu Sancto* TRADITAM; *& quidem fide infallibili, quod tamen nec dogmatis, nec articuli rationem habet.* Quam etiam eius confeſſionem noſtri grato animo acceptarunt, palamque concluſerunt, falſo igitur non ſolum aſſertum eſſe, quod ſcriptura ſit vnica norma fidei, ſed vniuerſam quoque argumentorum ab Aduerſarijs productorum ſtruem, præſertim ex locis Deuteronomij tam operosè exſtructam concidere, qua probare conati fuerint, ſcripturam eſſe vnicam normam fidei, atque adeò nihil credendum, niſi in ſcriptura expreſſum. Verum cum Aduerſarios huius ſuæ apertæ confeſſionis puderet, quid excogitarunt miſeri?

In reuiſione Protocolli, Catholicis quidem Collocutoribus inſcijs, noſtræ autem partis Reuiſoribus & Notarijs fraudem non aduertentibus (vt vna vox, animum varijs cogitationibus occupatum, facile poteſt effugere) pro voce illa (TRADITAM) quam nimis aperte contra ſe ſtare, præſertim cum quæſtione toties inculcata & repetita collatam viderunt; ſuppoſuerunt aut ſupponi curauerunt vocem (DESCRIPTAM) diuerſo planè, imo contrario ſenſu, id quod ex ipſo authentico Sereniſſimi Bauariæ Ducis Protocollo vtriuſque partis Chirographis & Sigillis munito, apertè liquet, vbi (vt etiam in alijs correctionibus Protocolli quæ ab vtraque parte Reuiſoribus & Notariis recognoſcendæ eo fine dabantur, vt quæ in colloquio dicta, minus exactè fuiſſent excepta, & præſertim ſicubi mutila eſſet oratio, bona fide ſupplerentur, noſtrorũ D. D. Reuiſorum induſtriâ conſultò factum eſt) vox illa TRADITAM leui litura ita deleta reperitur, vt clarè adhuc & perſpicuè à quolibet legi poſſit: ſuperius autem, correctionis loco, ſcripta reperitur vox illa DESCRIPTAM. Hocnè vero quinti Euangelii, purique, vt aiũt & defæcati verbi Dei Præcones decet? Scripturam publicam, contra veritatem, contra conſcientiam, contra publicam Notariorum fidem & iuramentum, contra manifeſtum ius alterius partis, in principali controuerſiæ puncto falſificare, aut falſificandam curare?

Et quid hæc illis fallacia prodeſt? Annè ideò victi non habebuntur? Imò longè iam apertius, non ſolùm eos in illo diſputationis puncto conui-

ctos

Digitized by Google

ctos apparebit,ſed ſimul apertæ quoque fraudis damnabuntur. Primò enim certum nihilominus manet illud, quod videlicet Hunnius in Colloquio confeſſus fuerit,eſſe aliquid fide diuina & infallibili credendum, licet non ſcriptum,hoc enim I. ij qui diſputationi præſentes fuerunt, abundè norunt.

II. Idipſum demonſtrat adhuc authenticum Protocollum,licet ab Aduerſariis corruptum,ex quo patet, nos eiuſmodi confeſſionem tanquam ratam acceptaſſe,ideoque Aduerſariis quoque inſultaſſe.

III. Teſtatur hoc ipſa litura eiuſdem protocolli Bauarici, qua malè oblinire ſuum pudorem conabantur Aduerſarij.

IV. Teſtantur etiam ea, quæ ex eodem Protocollo Seſſ. 1. & 10. recitauimus cap. præced. vbi demonſtraui,confeſſos etiam eſſe Aduerſarios, traditionem illam de libris canonicis,ex ſola ſcriptura colligi non poſſe, & tamen nihilominus diuina & infallibili fide eſſe credendam.

V. Tandem hoc ipſum teſtantur protocolla à Notariis catholicæ partis ſeorſim excepta.

Deinde verò hac ipſa ſua importuna diligentia apertè ſignificarunt, ſe aliquid confeſſos eſſe, quod à ſe retractari oporteat, atque adeò ſuæ theſi & cauſæ aduerſum. Quid enim alioquin opus erat,tanto periculo,protocollum violare?

Demùm iam hoc ipſo ſuam apud homines fidem & exiſtimationem non parùm læſerunt,quando vel hoc exemplo diſcent omnes,qualis ſit Prædicantium fides,& quantum eis credendum ſit tunc, cùm eis abſque ſuo periculo quodlibet dicere licet,qui etiam ſuo tanto periculo & præiudicio publicam fidem & veritatem violare ſunt auſi. Libet igitur Prædicantium aſſeclis rurſus hic ante oculos ponere illa verba Auguſtini,ſuperius recitata: *Ecce quibus creditis, qui mandatum ſuum* (protocollum ſuum) *non potuerunt conſcribere ſine crimine falſitatis.*

Parco interim illi, qui in eodem reuiſionis opere,cui perficiundo, & ipſe quoque voluntate Illuſtriſſimi Palatini incumbebat, pari ferè audacia, ſed minus fœlici dicam,an infœlici ſucceſſu, Notariis catholicis, qui eidem rei operam dabant,affirmare non eſt veritus,à catholicis protocolli Reuiſoribus impetratum fuiſſe, vt teſtimonia, quæ ſubinde in diſputatione ab aduerſa parte,tacta, non autem integrè recitata, & in protocollum relata fuerant,in protocollo integrè deſcriberentur,cùm tamen Reuiſores noſtri hoc nunquam conceſſerint;vtpote qui mox à noſtris Notariis interrogati negârunt id à ſe conceſſum.

Certè vel ex his duntaxat documentis quiſque prudens facilè intelli-

gere poterit, malam eſſe Prædicantium cauſam; vt quæ talibus fulcris egeat, neque niſi fraudibus ſuſtineri poſſit; quibus proinde iure à nobis objicitur illud Iob. 13. *Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Veritas profectò falſitatis tutela nō indiget, vt quæ à falſitate euertitur, non roboratur; falſitas autem quia cum veritate ſtare non poteſt, neceſſariò falſitatis adminicula requirit.

Quod ſi Prædicantes, etiam inſpectantibus, vt ita dicam, ijs, à quibus extēplo falſitatis argui poterant, in re tam liquida, tam confeſſa, tam teſtata, vbi ex publici protocolli fide, ex omnibus geſtis & dictis, ex ipſa veritatis expunctione & litura, falſitatis apertè coargui poterant, ſua figmenta obtrudere non ſunt veriti, quid non audebunt clanculum inter ſuos, vbi ſine periculo, quæ volunt, jactare poſſunt? vbi nemo eſt, qui eos redarguat? vbi nullum relinquitur publicum vanitatis monumentum? Atque ita concludo hanc relationem, quam veritatis amor ſuaſit, vanitatis odium exegit, zelus auitæ religionis extorſit. In qua ſi fortè quidpiam dixi, quod bonos offendat, condonabunt ſpero, quia boni ſunt; Si mali tantùm ſunt, quos offendi, precor vt boni fiant, & vel ſic eſſe deſinant in numero eorum, qui offenſi ſunt.

Et faxit benigniſſimus DEVS, vt ad eum finem hic labor pertingat, ad quem vnicè collimat, ad ſuum videlicet ipſius honorem, Eccleſiæ vtilitatem, & ſalutem animarum. Amen.

FINIS.

Laus Deo, & Deiparæ Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Errata ſic corrige.

IN præfat. ad Sereniſſ. initio in margine adde: Gregor. lib. 8. moral. c. 2. & infra: Hieron. apolog. 3. adu. Ruff. pag. 2. A. verſ. 12. à fin. lege; tergiuerſatione. 6. A. 22. definſens. 7. A. 22. Hunnius. 7. B. 5. profitebantur. 9. A. 12. à fin. D. Gretſero. 9. B. 1. dele: de. 11. B. 20. laudati. 13. A. 9. 2. paralip. 4. 17. B. 2. decreuiſſet. 21. A. 6. à fin. à nobis. 35. A. 19. Principibus. 36. A. 23. illud ſuum. 37. B. 19. impudenter. 42. A. 17. ſeu Aduerſariorum. 56. B. 33. obuiis vlnis.

Cætera prudens Lector ipſe facilè notabit, eaq; Typographorum inſtæ feſtinationi condonabit.

Digitized by Google